PROGRAMM

womit zu den

öffentlichen Prüfungen

der Zöglinge des

Vitzthumschen Geschlechtsgymnasiums

und seiner mit demselben vereinigten

Erziehungsanstalt

am 15. 16. 18. April

ergebenst einladet

der Director Prof. D. Georg Bezzenberger,
Grossherz. Mecklenb.-Schw. Schulrath.

Inhalt.

DRESDEN,
Druck von E. Blochmann und Sohn.
1859.

Walker fund.

Commentatio critica

de

Isaei orationibus.

Scripsit

Carolus Scheibe.

Causae hereditariae cum natura sua saepe tam complicatae sint et intricatae, ut eas evolvere et expedire admodum difficile esse videatur, mirum non est quod in Isaei orationes, e quibus pleraeque omnes, quae quidem maximam partem integrae*) ad nostram pervenerunt aetatem, in eo causarum privatarum genere versantur, haud

---

*) Orationi undecimae quae est de Hagniae hereditate aliquid deesse et ex eo apparet quod, cum promiserit actor se de facultatibus quae ab adversariis celentur deinceps dicturum (§ 44. *ἀλλ' ὕστερον περὶ τῶν παρακλεπτομένων ὑπὸ τούτων ποιήσομαι τοὺς λόγους*) nihil tale in ipsa oratione commemoratum reperitur et quod omnis desideratur peroratio. Quare quod auctoritate codicum quamvis optimorum AB fretus omiserat Imm. Bekkerus extrema oratione additamentum *ΛΕΙΠΕΙ*, detruncatam illud quidem designans orationem, recte est a criticis Turicensibus revocatum. Quae autem ex parte tantum servata est a Dionysio Hal. (de oratoribus vet. V. p. 618 sqq. et orat. Graec. VII. p. 351 sqq. Reisk.) oratio duodecimae nomine hodie insignita et ceteris inserta orationibus integris, ea non pertinet ad lites hereditarias, sed ad causam Euphileti in *διαψηφίσει* a paganis eiecti.

multi fuerunt qui studia sua conferrent. Contigit tamen eis ut egregium rerum oratione explicatarum dictionisque nanciscerentur enarratorem eundemque criticum muneri suo parem Georg. Frid. Schoemannum, a quo de rebus quidem inprimisque de iure civili vix unus et alter relictus locus est qui aut accuratiore retractatione aut correctione indigere videatur. De verbis autem illius oratoris perpurgandis atque ad pristinam speciem revocandis cum optime meruerunt Imm. Bekkerus et critici Turicenses, quorum ille in hoc magis quam in ceteris oratoribus quantum ingenii acumine posset sagacitateque ostendit, hi siquid ab viro illo doctissimo neglectum esset aut minus recte institutum expleverunt aut correxerunt, tum hoc tempore nemo quod sciam in omnibus Isaei orationibus recensendis edendisque peculiarem operam curamque posuit. Nam Dobsonus Britannus id egit ut quidquid esset a ceteris interpretibus ad illas illustrandas allatum diligenter colligeret, raro quid de quoque loco ipse sentiret profiteretur: id tamen utilitatis attulit ad orationem Isaei rectius constituendam, quod codicis optimi Crippsiani iterum a se excussi et Burneiani scripturae discrepantiam evulgavit. Parisina vero editio a Carolo Müllero incuriosissime curata cum ne transversum quidem unguem discedat a Turicensi in censum venire non potest. Sed nuper exstiterunt quamvis pauci qui in singulis locis expoliendis mendisque, quibus in tanta doctissimorum virorum industria ac diligentia tamen permultis inquinatae sunt Isaei orationes, liberandis sedulo elaborarent. In quibus non medicori laude digni sunt Dobraeus, Britannus perspicacissimus (adversar. vol. I. p. 286 sqq. et orat. Att. ed. Dobson. IV. p. V—XVI.), Emperius (opuscc. p. 279 sqq. et 316), Mentznerus (act. societ. Graecae II. p. 99 sqq.), Ed. Jenickius (observatt. in Isaeum Lips. 1838), G. A. Hirschigius (Philol. vol. V. p. 322 sq.): paucos locos sollerter et alacriter, uti assolet, attigit Cobetus vel in variis vel in novis lectionibus, qui quidem si nihil aliud ad oratorem nostrum contulisset quam palmarem illam emendationem, qua sanavit fragm. 3. §. 1. ed. Bekk. sive 29 ed. Saupp.*), bene de eo meritus dicendus esset. Pervellem tamen Batavus ingeniosissimus quique praeter ceteros emineat Attici sermonis accurata et copiosa

---

*) Scripsit enim in var. lectt. p. 271 Ἀγνόθεον pro ἀγνοηθέντα, quod varie temptaverunt viri docti, coll. Harpocr. v. ἐπισημαίνεσθαι (p. 82 Bk.). Viam monstravit Dobraeus nomen latere coniciens quale Ἀγλαοσθένη.

scientia cognitam haberet aut cognoscere vellet Baiteri Sauppiique elegantissimam oratorum Atticorum editionem, ne quae iam inventa essent receptaque in seriem verborum tamquam non inventa conquereretur ac postliminio in medium proferret. Hi omnes quamquam pro sua quisque parte operam dederunt ut emendatus prodiret salebrisque purgatus Isaeus, tamen nondum ita ad unguem perpolitus est, ut ubique Isocratis discipulum et magistrum Demosthenis et Lysianae eloquentiae aemulum agnoscas. Neque id mirum, cum codicibus manu scriptis neque multis utamur neque bonis. Nihilo secius vel ex eorum vestigiis emicat Isaeum pure emendate, eleganter venuste, denique Attice locutum esse.

Itaque si primum de formis vocabulorum quaeris, consentaneum est non alias eum sibi usurpandas putavisse nisi quae Atticum maxime decerent neque eundem hoc illove loco tamquam sui oblitum in se admisisse ut talibus uteretur quae longe distarent ab usu Atticorum et consuetudine. Ex quo genere sunt illa *καθιστάνειν* (or. 2. § 29. Cobeti orat. de arte interpr. p. 92, nos in praefat. ad Lysiam p. VI.), *οὐθείς μηθείς μηθέτερον* (Schoemann. ad or. 7. § 29.), *ψηφίσεσθε* (or. 1. § 51), *ἐφόρεσαν* (or. 4. § 7.), *ἄξαντες* (recte in *ᾄξαντες* mutatum or. 4. § 10: Bekkeri codd. partim *ἀίξαντες* partim *ἀΐξαντες* habent), alia eius modi, quae nemo facile erit hodie quin condemnanda esse iudicet, nisi qui quidvis patienter ferri debere praefracte contenderit, quod librarii aut ex inferioris aetatis aut ex aliarum gentium maxime Macedonum scribendi prava consuetudine aut etiam ex sui ipsorum temporis obscuritate et barbarie in scriptorem suum invehere non dubitaverunt. E talibus igitur sordibus a scribis oblatis et fidenter propagatis cum manifesto apparet quam suspecta sit atque infirma librorum manu scriptorum in his rebus fides, tum coniectura fieri facile potest quid sit de ceteris formis habendum, quas si non barbaras at tamen ne ipsas quidem ab Atticis usurpari solitas esse vel veterum grammaticorum decreta declarant vel, siquis forte his non tantum tribuat, ut usquequaque eos audiendos esse existimet, aperte docent codices emendatiores, qualem Urbinatem Isocratis et magna certe ex parte Parisinum Σ Demosthenis esse constat, de cuius quidem auctoritate cum aliquamdiu consedisset contentio, nuper vehementius exarsit. Isaei quidem libri quamvis minime digni qui cum illis quos dixi comparentur, tamen et ipsi eum aliquotiens Atticum, ut oportuit, et aequalibus suis maxime Demostheni similem reprae-

sentant. Orat. 3. § 48 extr. codices LZ secundam pers. habent in ει exeuntem προσποιήσει (ut Dem. de f. Leg. § 46.), or. 10. § 18 cuncti ἦμεν. Fere omnibus locis reperitur tertia pers. optativi aor. in ειε desinens: τελευτήσειεν or. 1. § 10, ἐρωτήσειεν or. 2. § 25, δόξειεν or. 3. § 11, πιστεύσειεν or. 3. § 23, καταστήσειεν or. 3. § 32, ἀμφισβητήσειε or. 3, § 61, ἀξιώσειε or. 4. § 26, βεβαιώσειεν or. 5. § 23, τολμήσειεν or. 6. § 9, ἐξαγγείλειε or. 6. § 39, εὐπορήσειεν or. 7. § 8, ἀμφισβητήσειε or. 7. § 36, δείξειε or. § 9, ἐπιδείξειε or. 8. § 28, κατορθώσειεν or. 8. § 37, θαυμάσειε or. 10, § 18, δείξειεν or. 11. § 28, ποιήσειε or. 11. § 48: quater tantum libri mscr. in αι exeuntem habent eandem personam, nec tamen quin exclusa sit dubitatio: or. 1. § 30 πιστεύσαι, sed A Dobsono teste πιστεῦσαι, Maius πιστεύση, ut ab Isaeo πιστεύσειε profectum videatur. Certius etiam est praeoptandam esse Atticam formam or. 9. § 18, ubi Bekkerus codicem deteriorem Z secutus dedit ἐθελήσαι suffragantibus editoribus Turicensibus: at cum in AB sit ἐθελήση, in Aldina vero ἐθελήσει, iure praeferes ἐθελήσειε. Relinquuntur igitur duo loci, in quibus codices nullam de vitio movent suspitionem: unus est or. 4. § 14 ἐγχειρήσαι, alter or. 8. § 40, cuius tamen integra verba subiungam, ut eum aliquid labis suscepisse planum faciam: *Καὶ τὰ μὲν γεγενημένα, καὶ δι' ἃ τὰ πράγματα ταῦτ' ἔχομεν, σχεδόν τι ταῦτ' ἐστίν, ὦ ἄνδρες· εἰ δὲ εἰδείητε τὴν Διοκλέους ἀναισχυντίαν, καί περὶ τὰ ἄλλα οἷός ἐστιν, οὐκ ἂν ἀπιστήσαι τις τῶν εἰρημένων οὐδενί.* Et sententiae conformationem et concinnitatem flagitare arbitror ut corrigatur οὐκ ἂν ἀπιστήσαιτ' ἴσως τῶν εἰρημένων οὐδενί. Quae cum ita sint, num in tanto exemplorum numero credibile est unum istuc ἐγχειρήσαι ab Isaeo exceptum esse? Mihi quidem secus ac vel invitis libris scribendum potius videtur ἐγχειρήσειεν. — Itemque cum tertiam pluralis optativi aor. personam in ειαν terminatam teneant codices or. 8. § 42 ἐθελήσειαν et or. 10. § 17 προσαπολέσειαν (quam quidem ego terminationem ubique Lysiae reddidi, v. praefat. p. VI), nescio an μαρτυρήσαιεν ἂν in or. 9 § 18 mutandum sit in μαρτυρήσειαν ἄν, quod fortasse propter κακοφωνίαν evitatum a scribis. — Verum contra praecepta grammaticorum (Voemel. proleg. ad Demosth. contiones p. 81 sqq. Guil. Dindorf. praefat. ad Dem. p. XXXIII.), sed recte tamen augmentum non temporale, sed syllabicum verbis βούλεσθαι et δύνασθαι praefigunt omnes fere codices: ἐβουλόμην or. 10. § 1, ἐβούλετο or. 1. § 25 (ἐβάλετο Q),

26, 27 (ἠβούλετο A secundum Dobsonum), 48. or. 2. § 17. or. 5. § 9. or. 9. § 11, 12. or. 10. § 9. or. 11. § 30. or. 12. § 9, ἐβουλήθης or. 5. §. 47, ἐβουλήθη or. 1. § 11 extr. (ἠβουλ. Ald.), 14 (ἠβουλ. Ald.), 20, 27 (ἠβουλ. Q et pr. A), ἐβουλήθημεν or. 1. § 45. or. 5. § 19, 30: ἐδυνάμην or. 9. § 27. or. 10. § 25, ἐδύναντο or. 6. § 40, ἐδυνήθη or. 1. § 25. or. 5. § 39, unus exceptus est locus or. 12. § 11, in quo legitur ἠδυνήθησαν, sed cum illae orationis reliquiae e Dionysio Halicarn. petitae sint, probabile est illum ipsum hanc formam Isaeo intulisse. Itemque constanter reperitur ἔμελλον: or. 5. § 5. or. 6. § 27. or. 7. § 33, 35, ἑάλωμεν or. 6. § 1, ἑάλωσαν or. 5. § 15, ἑαλωκότας or. 5. § 13: contra in formis ad ἀναλίσκειν pertinentibus libri fluctuant, ἀναλωμένων enim est or. 5. § 29, ἀνήλωσα et ἀνηλωκέναι or. 8. § 39, ἀνήλωσεν or. 5. § 35, Benseler. ad Isocr. Areopag. p. 133 sqq. Voemel. proleg. ad Demosth. contiones p. 71 sq. — Plusquamperfectum nusquam caret augmento nisi or. 6. § 37 ἀπολώλει et or. 7. § 27 παραδεδώκει, quae haud dubie emendatione indigent: nam or. 3. § 10 extr. ἐκδεδώκει male intrusit Bekkerus, librorum omnium scripturam ἐδεδώκει recte revocarunt critici Tur. coll. § 28, 64. or. 5. § 26: orat. autem 3. § 2 pro τετελευτήκει Baitero auctore corrigendum τετελευτήκεν coll. § 57, et or. 8. § 29. pro καταπέπληκτο e cod. Z quamvis deteriore restituendum oratori κατεπέπληκτο. In quo prorsus assentior G. Dindorfio in praefat. ad Demosth. p. XXI sq. aeque ac de augmento verbi ἐγγυᾶν et παρεγγυᾶν, cuius praeterita sic formasse Atticos ἠγγύων παρηγγύων ἠγγύηκα παρηγγύηκα ἠγγύησα παρηγγύησα pariterque praeterita generis passivi et medii, etiam poetarum locos docere rectissime animadvertit, ducem optimum habens et quasi antesignanum Lobeckium ad Phrynichum p. 155. Atque in Isaei quidem codd. A B semel tantum forma unice probanda legitur or. 3. § 58 ἠγγυήκει praetereaque in fragm. 31. ed. Saupp. est παρηγγύησεν. In reliquis omnibus locis, tamquam praepositio ἐν huic verbo inesset, invectum est ex B et corr. A (v. Bekker. ad or. 5 § 18.) post ἐν augmentum syllabicum, atque in imperfectis quidem ἐνεγύα et ἐνεγυᾶτο et ἐνεγυῶντο or. 3. § 45, 70. or. 5. § 18. or. 8. § 14, in aoristis ἐνεγύησεν, ἐνεγυήσατο or. 3. § 36, 52, 55, 79. or. 5. § 2, 4. or. 9. § 29, reduplicatio in perfectis et plusquamperfectis ἐγγεγυηκώς or. 3. § 40, ἐγγεγυημένος or. 3. § 73, ἐνεγεγύητο or. 3. § 55. Haec igitur omnia ad illam normam corrigenda erunt. Fortasse etiam in formis prae-

teritorum a verbo ἀμφισβητεῖν ductis alterum augmentum, quo omnes ubique carent Isaei libri, e consuetudine Atticorum (Voemel. l. d. p. 74 sq.) interponendum scribendumque ἠμφεσβήτουν et ἠμφεσβήτει or. 2. § 28, 29, 31. or. 4. § 30. or. 5. § 7. or. 11. § 5, 16, 25, ἠμφεσβήτησα — σεν — σαμεν — σαν or. 3. § 1, 13, 50, 51, 55. or. 4. § 10, 21, 29. or. 8. § 19. or. 11. § 10 extr., ἠμφεσβήτηκε or. 7. § 21, ἠμφεσβητήθη or. 8. § 20, ἠμφεσβητήθημεν or. 8. § 44. Contra in duplici augmento verbi decompositi κατεδιῄτησαν consentiunt codices Dionysii Hal. or. 12. § 11. itemque ἀπεδιῄτησαν or. 12. § 12, simpliciter autem compositum, ut par est, priore augmento destitutum habetur in libris mscr. or. 2. § 31. or. 6. § 15, 21. or. 8. § 9. or. 9. § 27. — Deinde futurum φανήσομαι nusquam non reperitur omnibus stabilitum libris, non φανοῦμαι (Voemel. l. d. p. 99). — Heteroclitorum, quorum nominativus exit in ης, genetivus in ους, accusativum constanter in ην desinentem servarunt codices Isaei praeterquam quod in or. 5. § 12 et 33 Δικαιογένη legitur, sed utrobique altera forma praeferenda videtur Sauppio, quicum facio. — Praeterea reponendum censeo συγκαταγηρᾶσαν pro συγκαταγηράσασαν or. 2. § 7 coll. Moeride p. 194 Bk., κατοκώχιμον pro κατόχιμον or. 2 § 28 (sicut Dobraeus et G. Dindorf. in Stephani thes. Didot. IV. p. 1114. Cobet. var. lectt. p. 29) coll. Moer. p. 200 Bk., πρᾶξαι pro διαπρᾶξαι or. 10. § 9. secundum Bekkerum sicuti § 11 et 13*), ἀποδιδόναι pro ἀποδίδοσθαι or. 2. § 28 (v. Boissonad. ad Philostrati Heroica p. 288 sq. Lud. Dindorf. ad Diodor. IV. p. 285 sq. meae lectt. Lys. p. 70 sive 364)**), κυεῖν pro κύειν or. 8. § 36 (v. nos ad Lys. or. 13. § 42), δέδιμεν pro δεδίαμεν or. 5. § 22 cum Cobeto nov. lectt. p. 469, εἰς pro ἐς or. 1. § 14. et εἴς τε pro ἔς τε or. 7. § 34 (ἴστε A), non quod hoc Atticum non sit, sed quod non minus a Demosthenis (Dindorf. praef. ad Dem. p. XXIII.) quam ab Isaei usu abhorret, fortasse etiam Εἰλειθυίας cum Baitero pro Εἰληθυίας or. 5. § 35 et περιεοράκασιν

---

*) Nam etiamsi passivum eius verbi in dubium vocari non licet in Lycurgi Leocr. § 15, tamen in Demosth. Mid. § 114 e cod. Σ recte nunc legitur εἰπεῖν καὶ πρᾶξαι pro εἰπεῖν καὶ διαπρᾶξαι. Ceterum eadem confusio est apud ipsum Isaeum or. 6. § 28: ibi enim libri praeter A διέπραττεν: in hoc solo simplex continetur, quod restituendum oratori.

**) Contra § 29 ἀποδίδοται pro ἀποδιδόναι iure scribi iussit Bekkerus, probaveruntque critici Turr.

pro περιεωράκασιν or. 7. § 32. Utrum φρατέρες pro φράτορες, quod in codd. constanter legitur, corrigendum sit in medio relinquam. Fidenter autem ubique γίγνεσθαι scribendum, quamvis id octiens tantum in codd., γίνεσθαι duodeviciens reperiatur, et γιγνώσκειν, quamvis id non saepius quam ter compareat, γινώσκειν duodeciens. Cfr. Dindorf. in Steph. thes. et Voemel. proleg. ad Dem. contiones p. 133 sqq. In Lysiae quidem orationibus ego perperam codicis Palatini inconstantiae cessi. Sed relictis his minutiis iam tempus est ad locos quosdam corruptos aut controversos transire accuratius pertractandos. Ac principio quidem huius commentationis insigni exemplo ostendam et quasi ante oculos ponam quot adhuc et quantis maculis foedatus sit Isaeus.

Orat. 9. de Astiphyli hereditate.

§ 25. ὡς δὲ ἐπηγγέλλετο περιιὼν διαθήκας ἀποφαίνειν, εἴ τις αὐτῷ κοινώσαιτο, αὐτοῦ ὑμῖν ᾧ προσῆλθε μαρτυρίαν παρέχομαι. ΜΑΡΤΥΡΙΑ. Ita Bekkerus. Sed prope dixeris in his tot vitia inesse quot verba. Primum enim ἀποφανεῖν scriptum oportuit, quod ut facile perspectu est, ita Dobraeus et Cobetus nov. lectt. p. 337 intellexerunt. Nam quod inter praesentis et futuri infinitivos interesse discriminis comminiscitur Stallbaum. ad Plat. Critonem p. 52. C argutius est quam ut ratione ad veritatem revocata confirmetur, possuntque omnes infinitivi quotquot ab illo afferuntur facili negotio, nonnulli etiam solo accentu mutato emendari. Neque multum abest quin astipuler Batavo sagacissimo in eo quod l. d. scribi oportere dicit κοινώσοιτο*). Sed haec leviora videntur: gravissimo enim morbo extrema laborant. Quae dedit Bekkerus editionis Aldinae fultus auctoritate dedit: ea tamen probari non posse cum aliae res declarant tum id argumento est, quod non unum aliquem adiit ex eis, qui olim Astyphili familiares fuerant, Hierocles**), sed eorum

*) Horum verborum ope et simili medicina idem vir doctus sanari vult ea quae leguntur § 24 λέγων ὅτι θεῖος εἴη Ἀστυφίλῳ καὶ ἀποφαίνοι διαθήκας ἐκεῖνον καταλελοιπότα, εἴ τις αὐτῷ κοινώσαιτο. Corrigit enim ἀποφανοίη (iam Bekkerus ἀποφανοῖ) et κοινώσοιτο.

**) avunculus et Astyphili et eius qui hanc orat litem: § 6. θεῖον ὄντα καὶ ἐμοῦ καὶ ἐκείνου. quae verba Dobraeus adhibuit ad resarcienda ea quae mutilata leguntur § 22. θεῖος ὢν καὶ ἐμοί: complenda enim sunt hunc in modum: θεῖος ὢν καὶ ἐκείνῳ καὶ ἐμοί.

unicuique se testamentum quod Astyphilus reliquisset apud se depositum exhibiturum esse pollicitus mercede pacta operam suam obtulisse narratur § 24. Cum ea autem narratione non congruit unius eiusque certi cuiusdam hominis testimonium, quod designaretur verbis *αὐτοῦ* et *ᾧ*. Accedit quod illi scripturae non favent libri mscr. Optimus quidem A habet *αὐτοῦ ὑμῖν ὡς προσῆλθε μαρτυρίας παρέχομαι. ΜΑΡΤΥΡΙΑΙ* (neque aliter B, nisi quod *μαρτυρίαν* tenet et titulum omittit), quae mendosa sunt illa quidem, sed ut tamen continuo emergat pluralem numerum, quem requiri vidimus, ex *ὡς* eruendum scribendumque esse *οἷς*, quod cum probe perspexisset Schoemannus, verba refingi posse suspicatus est in hunc modum: *αὐτῶν ὑμῖν οἷς προσῆλθε μαρτυρίας παρέχομαι. Μαρτυρίαι*, eamque emendationem in sua editione exprimendam curaverunt Baiterus Sauppiusque. Eis tamen quo minus assentirem primum me impedivit quod non plura testimonia afferuntur, sed unum tantum eorum omnium quos adierat Hierocles, qui unam atque eandem rem confirment. Hoc ita esse cum res declarat tum ipse planum facit orator § 26. *ὡς δὲ οὐδὲ Κλέωνι προῖκα τὰς διαθήκας ἀποφαίνει, ἀλλὰ μισθὸν εἴληφεν, αὕτη ὑμῖν ἡ μαρτυρία οὐ μικρὸν τεκμήριον ἔσται*: nam illud ipsum testimonium designari quod modo allatum sit non fugit Schoemannum. Efficitur ergo neque *μαρτυρίας* neque titulum *Μαρτυρίαι* recte se habere*). Deinde *αὐτῶν* haud facile quisquam temere in *αὐτοῦ* transformasset. Quae cum ita sint, equidem totum locum ita e vestigiis librorum constituendum esse censeo: *αὐτοὺς ὑμῖν οἷς προσῆλθε μάρτυρας παρέξομαι. ΜΑΡΤΥΡΕΣ.* i. e. „ipsos quos adiit vobis testes exhibebo". Iam nihil erit in quo offendas. *Μαρτυρίας* cum alibi ex *μάρτυρας* depravatum est tum or. 11. § 6, ubi pro *παρέχεσθαι μαρτυρίας* corrigendum esse *παρέχεσθαι μάρτυρας* apparet ex oppositis *νῦν δ' ἐφ' οἷς ἀπόκρισιν οὐ δέδωκεν* (malim *οὐκ ἔδωκεν* secundum Z), *οὐ μάρτυρας παρέσχετο, οὐχ ὅρκον ὤμοσεν κτἑ.* Tum futurum reposui *παρέξομαι*, quia si orator testes citat rem aliquam statim confirmaturos aut scribam testimonium subinde recitare iubet, praesenti locus concedi non debet,

---

*) Contrario errore peccatum § 28. in cod. A, in quo titulus, in ceteris quidem omissus, legitur *Μαρτυρία*, cum tamen duo testimonia recitari manifestum sit ex his verbis *λαβὲ δέ μοι ταύτην τὴν μαρτυρίαν, εἶτα τῶν διδασκάλων ὅποι ἐφοιτῶμεν.*

veluti in Lysiae or. 22. § 12 *καὶ τούτων ὑμῖν μάρτυρας παρέχομαι*, ubi a me criticisque Turicensibus Marklando auctore futurum *παρέξομαι* substitutum est. Sin vero orator non statim testes se producturum esse testimoniumque non illico recitatum iri significat, sed illos se secum adductos in promptu habere declarat et dare (Cic. pro Quinctio 23. § 75) iudicibus paratus est, praesens tempus usurpatur *παρέχομαι μάρτυρας* („ich biete Zeugen an"), veluti or. 5. § 20. *ὡς μὲν τοίνυν περιφανῶς ψεύδονται μάρτυρας ὑμῖν παρεχόμεθα τοὺς παρόντας, ὅτι Δικαιογένης μὲν ἀφίστατο τοῖν δυοῖν μεροῖν τοῦ κλήρου καὶ ὡμολόγει ἀναμφισβήτητα παραδώσειν ταῖς Δικαιογένους ἀδελφαῖς, Λεωχάρης δὲ ἐνεγυᾶτο* (scr. *ἠγγυᾶτο*) *αὐτὸν ἃ ὡμολόγησε καὶ ποιήσειν*, quorum verborum ope corrigenda sunt quae leguntur eiusdem or. § 4. *ὅτι μὲν γὰρ Δικαιογένης ὡμολόγει παραδώσειν ἡμῖν ὧν κατέλιπεν ὁ Μενεξένου τὰ δύο μέρη ἡμεῖς μάρτυρας παρεξόμεθα καὶ ὅτι Λεωχάρης ἐνεγυήσατο* (scr. *ἠγγυήσατο*) *αὐτὸν ταῦτα ποιήσειν*: ibi enim *παρεχόμεθα* scribendum esse viderunt Baiterus Sauppiusque. Cfr. etiam or. 8. § 29. *τῶν μὲν παλαιῶν ἀκοὴν μαρτυρούντων παρεχόμενος.*

Eiusdem or. § 20. *ὡς οὖν τὸν ἅπαντα χρόνον διάφορος ἦν Κλέωνι, τούτων ὑμῖν τοὺς συνειδότας μάρτυρας παρέξομαι.* Nullus interpretum in hoc loco offendit, quamquam pluralis numerus *τούτων* de una illa quae intercedebat inter Astyphilum et Cleonem discordia mirus est et insolens. At enim neutrum plurale pronominis demonstrativi haud raro singularis vices sustinet, de quo usu ipse aliquando disputavi in Vindiciis Lysiacis p. 38. 59. 115. Sed id quotiens fit, non fit nisi eius modi res dicuntur sive tales condiciones, qualis est una iam commemorata. Quae observatio eo minus cadit in nostrum locum, quod numerus plurativus, si quidem sana scriptura esset, ad unam respiceret eamque suspensam enunciationem. Adde quod si non supervacaneum, at certe minime necessarium esset *τούτων*. Tu igitur emenda et distingue sic: *ὡς οὖν τὸν ἅπαντα χρόνον διάφορος ἦν Κλέωνι τουτῳί, ὑμῖν τοὺς συνειδ. μαρτ. παρέξομαι.* Cleo enim cum Astyphili bona filio suo nondum sui iuris facto peteret, ipse in iudicio aderat. Quare *Κλέων οὑτοσὶ* appellatur, cum oculis vel digito designatur ab eo qui verba facit (Apollon. Dysc. p. 75 Bk.), ut § 2, ubi editores Tur. recte resecuerunt articulum ante *Κλέων* male intrusum, § 3. 10. 17, ubi corrigo *ὁ Κλέωνος τουτουὶ πατὴρ*

pro τούτου. Quo de usu quae praeeunte maxime Cobeto de arte interpr. p. 95. uberius praecepi in lectt. Lys. p. 26 sive 320 (cfr. Rauchenstein. ad Lys. or. 13. §. 16.), ea etiamnunc teneo. Ad normam illic a me propositam in Isaei orationibus praeter illos quos iam indicavi locos corrigendi sunt hi: or. 5. § 12 Κηφισοδότῳ τουτῳί, eiusd. or. §. 18. Λεωχάρης οὑτοσί, §. 33. Λεωχάρει μὲν ἦν τουτῳὶ κηδεστής, or. 6. §. 1. Χαιρεστράτῳ τουτῳί itemque §. 3, or. 10. §. 5. Ξεναίνετος οὑτοσί, or. 12. §. 1. οὑτοσὶ Εὐφίλητος (e coniectura Sauppii), eiusdem or. §. 6. Εὐφιλήτῳ τουτῳί, §. 9. Εὐφίλητον τουτονί. — Ceterum ut ad eum e quo egressa est quaestio locum revertatur, in eiusdem §. initio pro vulgato ἐκ παίδων, quod de uno Astyphilo dictum esse nequit, restituendum est ἐκ παιδίου, sicuti legitur etiam §. 29. ἐκ μικροῦ παιδίου et §. 30. συνετράφην ἐκείνῳ ἐκ παιδίου. Eodem mendo contaminatur or. 12. §. 3, ubi corrigo καὶ χωρὶς τούτου μεμαρτύρηται ὑμῖν τοῦτον ἐκ παιδίου τρέφων pro ἐκ παίδων.

Eiusdem or. §. 9. et 10. αὐτὸς δ'ὑμῖν πάντας τούτους μαρτυροῦντας παρέξομαι. ΜΑΡΤΥΡΕΣ. Ἴσως τοίνυν Κλέων οὑτοσί φησιν οὐκ εἰκὸς εἶναι τεκμηρίοις ὑμᾶς χρήσασθαι τούτοις τοῖς μάρτυσιν, ὅτι μαρτυροῦσι μὴ εἰδέναι Ἀστύφιλον ταῦτα διατιθέμενον. Primum αὐτός nihil habet cui opponatur. An forte alius cuiusquam erat quam ipsius actoris provocare ad cognatos, curiales, paganos, necessarios Astyphili eosque producere, qui ab illo testamentum conditum esse se nescire testarentur? Immo vero ipsos illos actor, ut rem testatiorem reddat, se citaturum esse testes dicit. Perspicuum est iam Isaeum dedisse αὐτοὺς δ'ὑμῖν πάντας τούτους μαρτ. παρέξομαι. Deinde occupationis forma utitur is cui scripta oratio est, quo illud quod a Cleone obici possit praemonstrando infra dissolvat. Timere enim se ait ne forte adversarius aequum esse neget quod ipse ad rem demonstrandam talibus utatur testibus qui testentur dumtaxat se non compertum habere scriptumne sit ab Astyphilo testamentum an non. Iam patet, ut opinor, perverse in libris omnibus propagatum esse illud ὑμᾶς χρήσασθαι pro eo quod mihi constat ab Isaeo profectum esse ἡμᾶς χρήσασθαι, quae emendatio quam certa sit ex eis luculenter apparet quae ad hanc obiectionem eluendam subiunguntur Ἐγὼ δ'οἶμαι — ἡμῖν πολὺ βεβαιοτέραν εἶναι μαρτυρίαν ἣν οἱ ἀναγκαῖοι ἐκείνου περὶ τῶν μεγίστων μή φασι παρα-

γενέσθαι, ubi cum H. Sauppio ex more Isaei scribendum οἱ ἀναγκαῖοι οἱ ἐκείνου, perinde atque or. 10. § 4, ubi in verbis τοῦ πατρὸς τούτων ante τούτων recte articulum inseruit Dobraeus, et or. 9. § 36, ubi eodem Sauppio auctore ἐπὶ τὰ ἱερὰ τὰ ἐκείνου corrigendum. Nec magis dubito quin ὅ τι μαρτυροῦσι mutandum sit in οἵ μαρτυροῦσι: non enim causam afferri, sed quales sint illi testes quos negat Cleo adhibendos esse indicari liquido apparet. Denique extrema §. existimo necesse esse aoristus διαθέμενον in locum praesentis substituatur.

Eiusdem or. § 11. καὶ ἐχρῆν δ' ὦ ἄνδρες — παρακαλέσαι εἴ γέ τινα συγγενῆ ἐπιδημοῦντα ἐγίγνωσκε, καὶ τοὺς ἄλλους ὅτῳ ἐπὶ βραχύ περ ᾔδει Ἀστύφιλον χρώμενον. κωλῦσαι μὲν γὰρ οὐδεὶς ἂν αὐτὸν ἐδύνατο ὅτῳ ἐβούλετο δοῦναι τὰ ἑαυτοῦ. Tria sunt quae nos male habent. Primum cum discernantur cognati in urbe praesentes a ceteris quotquot notos habebat Astyphilus, Dobraeus iure emendavit εἴ τέ τινα. Deinde pro ὅτῳ ἐπὶ βραχύ περ, quod explicari nequit, optime Cobetus in var. lectt. p. 209 scripsit ὅτῳ περ ἔμβραχυ, quamquam equidem sede sua non moverim voculam περ, quae non minus recte a relativo suo dirimi posse videtur, praesertim cum ἔμβραχυ cum relativo quasi coaluerit, quam dissecatur pronomen compositum ὁτιοῦν, plane ut Latinum quicumque, veluti in Lysiae or. 1. § 49 οἱ νόμοι κελεύουσιν ἐάν τις μοιχὸν λάβῃ ὅ τι ἂν οὖν βούληται χρῆσθαι, ubi quod a criticis quibusdam reprobatur οὖν cum sit auctoritate codicis archetypi satis munitum sollicitandum non esse ostendi in lectt. Lys. p. 73 (367.) coll. Lobeck. ad Phryn. p. 373 sq. Kruegeri gr. Gr. § 25, 9, 2. Adde Isaei fragm. 3. Bk. sive 29 Saupp. ὡς ἂν οὖν δυνώμεθα προθυμότατα, ubi οὖν perperam uncis circumsaepsit Bekkerus. De ἔμβραχυ autem, quod Lysiae or. 13. § 92 ut suum reddidi, v. lectt. Lys. p. 32 (326), sed quae ibi de huius vocabuli notione observavi antiquorum interpretum praecepta secutus, eis accuratiora docuerunt Heindorfius ad Plat. Gorg. p. 457 A et Cobetus in var. lectt. p. 208. Denique οὐδεὶς ἂν αὐτὸν habent soli B et A a secunda manu: Z inverso ordine οὐδεὶς αὐτὸν ἄν, quae ipsa fluctuatio ἂν particulam suspectam reddit. Deest vero in cod. A pr. manu, idque mihi probatur: ἐδύνατο enim non habet subiectam condicionem dicitque hoc orator: „nemo profecto eum poterat impedire quo minus cuicumque vellet sua bona legaret.“ Contra meo quidem iudicio opus est addita eadem particula §. 13. οὐ γὰρ

ἡγοῦμαι ἔγωγε οὐδένα, υἱὸν ἑαυτῷ ποιούμενον, τολμῆσαι ἄλλους τινὰς παρακαλέσαι ἢ τούτους, οὕσπερ καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων κοινωνοὺς*) ἀνθ' αὑτοῦ εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον ἔμελλε καταλιπεῖν, sive eam post γὰρ sive post οὐδένα sive post τολμῆσαι collocaveris. In § 8 quod iam Bekkerus voluit ἅπαντα δὲ ταῦτα μάλιστ' ἂν εἰδέναι ὅτι γένοιτο (γένοιντο libri. V. Bernhardy synt. p. 418) pro μάλιστα εἰδέναι receptum est in editione Turicensi, cuius auctores etiam § 16. de Dobraei coniectura necessaria reposuerunt ὥστε πολὺ ἂν θᾶττον διαθέμενον μηδένα ποτὲ τῶν ἑαυτοῦ οἰκείων διαλεχθῆναι Κλέωνι pro πολὺ δὴ θᾶττον coll. Isocr. or. 21. § 3. Lycurgi Leocr. § 30. De constructione v. Rauchenstein. ad Isocr. Paneg. § 64, de particularum ἂν et δὴ permutatione lectt. Lys. p. 51 (345) et Cobeti nov. lectt. p. 549. Tum demiror quod non dudum interposita est particula § 36 ἔπειτα τὰς Εὐθυκράτους ἐπισκήψεις τοῦ πατρὸς τοῦ Ἀστυφίλου ἀκύρους ποιήσετε, ἃς αὐτὸς πρότερον ἀπέθανεν ἢ παραβῆναι, ubi germanum esse credo ἃς αὐτὸς πρότερον ἂν ἀπέθανεν: „Astyphilus prius mortem obisset quam ut mandata patris sui migraret." Itaque dum vivebat mandatorum patris neglectionem magis reformidabat quam mortem. Non adiecta autem particula prius mortuus esse diceretur. Contra eliminanda est ut pote soloece posita, quamvis in omnibus libris et manu scriptis et editis, or. 11. § 6. ἵνα μᾶλλον ἂν ἐπιστεύετο ὑφ' ὑμῶν: locum enim ei non esse constat in enunciatione quam dicunt finali et quidem suspensa ex eiusmodi enunciatione, qua res designatur quam factam oportuit, quae tamen facta non est. — Denique in nostrae or. § 34. μὴ τοίνυν, ὦ ἄνδρες, εἰσποιήσητε (ita recte Sauppius pro εἰσποιήσησθε) υἱὸν Ἀστυφίλῳ ὃν οὐδ' αὐτὸς ζῶν ἐκεῖνος ἐποιήσατο apertum est corrigendum esse οὐδ' ἂν αὐτὸς ζῶν: dicit enim orator: „quem ne ipse quidem superstes sibi adoptavisset."

Eiusdem or. § 22. Οὕτως τοίνυν διακείμενος τῷ τετελευτηκότι Κλέων ἀξιοῖ τὸν υἱὸν τὸν ἑαυτοῦ τὰ ἐκείνου ἔχειν. Quod dativum τῷ τετελευτηκότι falsum esse iudicavit G. A. Hirschig. in Philol. V. p. 324. scribendumque statuit πρὸς τὸν τετελευτηκότα, in eo ipse falsus est. V. or. 1. § 30. τούτοις τε ἅπασιν ἐπιτηδείως

*) Scribe οἵσπερ — κοινωνόν, quod et Dobraeo et Schoemanno in mentem venit. Cum enim semel οἵσπερ degenerasset in οὕσπερ, librarii κοινωνὸν ad istud οὕσπερ accommodandum putaverunt.

διακείμενος, eiusd. or. § 37. ἡμῖν οἰκειότερον διακείμενον, or. 4, § 18. οὐκ εὖ διακείμενοι τοῖς συγγενέσιν. Demosth. or. 8. § 40. Thucyd. 8. 68. Xen. Anab. II. 5, 27 ibique Krueger.

Postremo facere non possum quin saltem verbo attingam emendationis quasi quoddam exemplum et specimen a Dobraeo exhibitum in § 15 τῷ οὖν ἂν ὑμῶν φανείη πιστόν — οὕτως ἀκριβῶς τὰ παρὰ τῆς τύχης συμβῆναι, ὥστ' ἐν μὲν τῷ πρόσθεν χρόνῳ μηδὲ περὶ ἑνὸς αὐτὸν τῶν αὑτοῦ διαθέσθαι, ὅτε δὲ τὸ τελευταῖον ἔμελλε στρατεύεσθαι, ἐθελοντήν τε ἐ κ π λ ε ῖ ν, τ ὸ ν καὶ μάλιστα ἐκ ταύτης τῆς στρατείας ἐλπίζοντα σωθήσεσθαι, πῶς τοῦτον πιστὸν ἤδη τὰς διαθήκας τότε καταλιπεῖν καὶ ἐκπλεύσαντα τελευτῆσαι; Verba enim diremta et discissa ἐθελοντήν τε ἐκπλεῖν τὸν (τῷ libri Bekkeriani) καὶ μάλιστα ita concinnavit ingeniosissimus ille Britannus ut scriberet ἐθελοντήν τε ἐκπλέοντα καὶ μάλιστα.

Iam vero unam exempli gratia excerpam orationem insigniter corruptam et interpolatam, cuius quidem alios locos accuratius tractare operae pretium esse duco, aliorum vitia carptim perstringere atque vel alienis adminiculis vel meo Marte, si fieri potest, emendare aut certe emendationis viam monstrare in animo est. Quo facto de ceteris orationibus deinceps dicam.

Orat. 5. de Dicaeogenis hereditate.

§ 18. συγχωρούντων γὰρ ἡμῶν τῷ ἄρχοντι μὴ συναριθμεῖν ἀλλὰ συγχέαι τὰς ψήφους, ἀφίστατο μὲν Δικαιογένης τοῖν δυοῖν μεροῖν τοῦ κλήρου ταῖς Δικαιογένους ἀδελφαῖς, καὶ ὡμολόγει ἀναμφισβήτητα παραδώσειν ἡμῖν ταῦτα τὰ μέρη. καὶ ταῦτα ἠγγυᾶτο (ἐνεγυᾶτο libri) αὐτὸν Λεωχάρης οὑτοσί (οὗτος libri), κ α ὶ ὡ μ ο λ ό γ ε ι π ο ι ή σ ε ι ν, οὐ μόνος ἀλλὰ καὶ Μνησιπτόλεμος ὁ Πλωθειεύς (Πλωτιεύς libri. Praeter auctores quibus utitur Schoem. vide Leakium de demis Att. p. 114 et 232 ed. Westermann.). Verba καὶ ὡμολόγει sententiam orationisque tenorem turbare bene perspexerunt Baiterus Sauppiusque, aut delenda verba καὶ ὡμολόγει aut ὡς ὡμολόγει corrigi oportere statuentes. Neque enim Leochares promisit se hoc facturum, sed Dicaeogenes, ille autem dumtaxat sponsor pro Dicaeogene fidem interposuit. Iam vero si comparaveris inprimis

§ 20. *Λεωχάρης δὲ ἠγγυᾶτο αὐτὸν ἃ ὡμολόγησε καὶ ποιήσειν* et § 22. *οὐ πιστεύοντες αὐτῷ ἃ ὡμολόγησε ποιήσειν* (ubi ante *ποιήσειν* fortasse *καὶ* inserendum) et § 28. *οὐκ ἄν ποτε οἰόμενοι αὐτὸν ἐναντία οἷς ὡμολόγησε πρᾶξαι, οὐ δι' ἄλλ' οὐδὲν ἢ διὰ τοὺς ἐγγυητάς, ὅτι καθειστήκεσαν ἡμῖν*: facile concedes solo verbo *ὡμολόγει* eiecto scribendum esse *καὶ ταῦτα ἠγγυᾶτο αὐτὸν Λεωχάρης οὑτοσὶ καὶ ποιήσειν*. Habet autem hanc vim particula *καί*, ut significet Dicaeogenem quae verbis recepisset ea reapse esse praestaturum. *ὡμολόγει* autem propter particulam *καὶ* non recte intellectam e superiore *ὡμολόγει* natum esse et huc invasisse videtur.

Eiusdem orat. § 26. *ἡμεῖς δ' ὡς ἐλέγομαν ἀληθῆ καὶ ἄλλο τι τεκμήριον παρέξομαι.* Imperfectum *ἐλέγομεν* non est quorsum referas: ad pacta quidem inter Dicaeogenem eiusque cognatos inita referri non posse apertum est vel ex eo quod adicitur *ἀληθῆ* vel ex ipso verbo *λέγειν*, quod in hac re ineptum esset. Huc inprimis accedit quod quae deinceps afferuntur, quidquid de eorum explicatu statueris, utique eo afferri consilio patet, ut illa quae de pactis contendit actor, besse hereditatis destitisse Dicaeogenem quidem, sed eum non integrum tradidisse in eaque iniuria adiutum esse a sponsore, alio argumento confirmentur. Restitue igitur praesens tempus *ἡμεῖς δ' ὡς λέγομεν*: „haec vera esse, inquit, quae de pactis (non dicebamus sed) contendimus, aliud quid pro argumento afferam.“ Quae autem illis succedunt verba *Πρωταρχίδῃ γὰρ τῷ Ποταμίῳ ἔδωκε Δικαιογένης τὴν ἀδελφὴν τὴν ἑαυτοῦ ἐπὶ τετταράκοντα μναῖς*, cum multis sint gravibusque obnoxia dubitationibus, magnas interpretibus facessiverunt molestias: equidem non dubito accedere sententiae a populari meo eodemque olim familiari Herm. Weissenbornio prolatae in Erschii et Gruberi encyclop. sect. II. vol. 24. p. 294. scribendum esse *τὴν ἀδελφιδῆν τὴν ἑαυτοῦ*, ut Dicaeogenes II pro tutore viduae Democlis filiam, pupillam suam, Protarchidi in matrimonium dedisse dicatur. Schoemannus proposuit *τὴν ἀδελφὴν τὴν τοῦ..* vel *τὴν τούτου* (i. e. Cephisodoti praesentis): sensum *τὴν ἀδελφὴν τὴν τοῦ θείου* postulare autumavit H. Sauppius.

Eiusdem or. § 29. *ὕστερον δ' οὐκ ἀναγκαζόμενοι ἀλλ' ἑκόντες ἔδομεν αὐτῷ τὴν ἐν ἄστει οἰκίαν ἐξαιρεθέντες πρὸς τῷ τρίτῳ μέρει τοῦ κλήρου ἔχειν ἀντὶ τῶν ἐπεσκευασμένων, ἣν οὗτος ἀντὶ πεντακισχιλίων δραχμῶν παρέδωκε Φιλονείκῳ.* Quae his verbis causa

explicatur etsi satis plana est, tamen ἐξαιρεθέντες sanum esse nego. Dicit actor se suosque cognatos besse sibi adiudicato Dicaeogeni praeter trientem hereditatis insuper domum permisisse, qua in urbe usus erat, non quod suo illi iure eam retinere licuerit, sed tamquam praecipuum quoddam donum (ἔδομεν et hic et infra § 30, ubi perperam in libris mscr. legitur παρέδομεν) ei concedentes pro pecunia in balnei restitutionem aliaque aedificia insumpta. Eam exemptionem verbo ἐξαιρεθέντες significari volunt interpretes. Quid? quod Schoemannus aliis quibusdam verbis deponentibus allatis Isaeum consulto ἐξαιρεθέντες dixisse opinatus est de eis qui passi essent ut de suis rebus alter aliquid exciperet, non ἐξελόμενοι, quod de eis potius dici putat qui sibi aliquid excipiant. Atque de hac medii ἐξελόμενοι significatione quidem ita astipulor viro egregio, ut id ab huius loci ratione prorsus abhorrere dicam. At vero illam passivi vel potius, si quidem verum est ἐξαιρεθέντες, deponentis expediendi rationem tantum abest ut probem, ut et ipsi notioni verbi ἐξαιρεῖσθαι, quod liberam exemptionem designat, et eis quae antecesserunt οὐκ ἀναγκαζόμενοι ἀλλ' ἑκόντες ἔδομεν αὐτῷ τὴν ἐν ἄστει οἰκίαν adversa fronte repugnare contendam. Accedit quod ἐξαιρεθέντες pro ἐξελόμενοι nusquam usurpatum invenitur. Est sane universus hic de verbis deponentibus locus amplioris quaestionis, quam cui hoc tractatu satisfieri queat, tamen quod ad δαπανηθεὶς provocat Schoemannus, quae forma legitur § 43, ea certe a sententia nihil habet quod usui adversetur, quamquam cum non multo post § 45 dicatur καὶ πολλὰ χρήματα δαπανήσας σεμνοτέραν τὴν πόλιν τούτοις ἐποίησας; et quidem in eadem re, illa forma num ipsi Isaeo tribuenda sit vehementer dubito, ut illo quoque loco δαπανήσας rescribi oportere suspicer. Hoc tamen utcumque est, cum et sententia et usus faciat contra istud ἐξαιρεθέντες, nihil relinquitur nisi ut id corruptum esse statuamus. Ac Reiskius quidem ad sententiam apte corrigi voluit ἐξαίρετον, sed id quo modo et qua de causa immutari potuerit in ἐξαιρεθέντες non liquet. Mihi igitur non dubium videtur quin illud verbum conglutinatum sit a librariis ex duobus his ἐξαίρετον ἀφέντες, „tamquam praecipuum munus domum ei permittentes.“ Verbum ἀφιέναι eandem fere vim habet in eis quae haud procul a nostro loco absunt ἀντὶ τῶν λειτουργιῶν καὶ τῶν εἰς τὰ οἰκοδομήματα ἀναλωμένων ἀφεῖμεν αὐτῷ τοὺς καρπούς: „horum bonorum usum fructum illi permisimus.“ De voc. ἐξαίρετον v. Suid. p. 299. Bernh. Ἐξαίρετον, τὸ ἐπίλεκτον. Ἐξαι-

ῥετὸν δέ, ὀξυτόνως, τὸ ἐκβαλλόμενον. Vitium simile simili remedio e Lysiae or. 7. § 18 sustulisse mihi videor, cum pro ἀλλὰ καὶ περὶ ὧν ἀποκρυπτόμεθα μηδένα εἰδέναι scripsi ἀλλὰ καὶ περὶ ὧν ἀποκρυπτόμενοι οἰόμεθα μηδένα εἰδέναι. Cfr. lectt. Lys. p. 15 (309).

Praeter ea quae iam sunt in hac oratione a Schoemanno criticisque Turicensibus correcta, haec strictim commemorasse iuvabit.

§ 11. καὶ ὃ πάντων δεινότατον, τὴν οἰκίαν αὐτῶν τὴν πατρῴαν — πριάμενος καὶ κατασκάψας τὸν κῆπον ἐποιήσατο πρὸς τῇ αὐτοῦ οἰκίᾳ τῇ ἐν ἄστει „Dicaeogenes, inquit, domum emit eaque diruta ex area hortum illum fecit, quem nunc iuxta domum suam habet urbanam.“ Patet scripsisse oratorem τὸν κῆπον ἐποιήσατο τὸν πρὸς τῇ οἰκίᾳ. Eodem modo in or. 2. § 31. πρὸς τῷ βωμῷ τῷ τῆς Ἀφροδίτης Κεφαλῆσιν (ita enim Κεφαλαίωσιν emendavit Schoemannus: adde Rossi dem. Att. inscr. 15 sive XVII in Boeckhii oecon. pol. II. p. 347) articulum τῆς pone Ἀφροδίτης addendum esse manifestum est. — Eadem § 11. τρίβωνα φορεῖ recte oratori reddidit Cobetus nov. lectt. p. 155 sq. pro τριβώνια φορεῖ, nequis unus pallia compluria gestare diceretur.

§ 10. καὶ γὰρ τούτων τε ἅμα καὶ ἐπίτροπος καὶ κύριος καὶ ἀντίδικος ἦν. Particula τε vix ac ne vix quidem potest ita defendi, ut ad alterum quod sequitur membrum καὶ οὐδὲ κατὰ τὸ ἐλάχιστον μέρος τῆς οἰκειότητος ἐλέου παρ᾽ αὐτοῦ ἔτυχον referatur. Quocirca eam delendam censuit Reiskius, Schoemannus autem scriptum fuisse credidit ἅμα τε ἐπίτροπος καὶ κύριος. Cum autem Dicaeogenes esset ἐπίτροπος pupillorum, donec sui iuris facti essent, et κύριος maxime mulierum (vel ipsorum etiam pupillorum: v. Schoem. p. 297), idem tamen ἀντίδικος non alio tempore, quam tum cum contendebat cum cognatis de hereditate, ego quidem idem illud tempus quamvis universe significatum esse existimans suspicor corrigi oportere τούτων τότε ἅμα καὶ ἐπίτροπος καὶ κύριος καὶ ἀντίδικος ἦν.

§ 15. δύο γὰρ διαθῆκαι ἐφάνησαν, ἡ μὲν πάλαι πολλῷ, ἡ δ᾽ ὕστερον*). Pro ἐφάνησαν, quod libros adhuc editos infecit omnes, corrigendum haud dubie secundum Dobraeum ἀπεφάνησαν. Non enim comparuerunt tamquam casu quodam duo illa testamenta, sed

*) Malim ἡ μὲν πάλαι, ἡ δὲ πολλῷ ὕστερον. Critici Tur. ἡ μὲν πάλαι, ἡ δ᾽ ὕστερον πολλῷ.

exhibita et prolata sunt, ut conspicere licet ex eis quae continuo subsequuntur, in quibus ipso verbo composito usus est Isaeus *καὶ κατὰ μὲν τὴν παλαιάν, ἣν ἀπέφηνε Πρόξενος — καθ᾽ ἣν δ᾽ αὐτὸς ἀπέφηνε Δικαιογένης — ταύταιν δὲ ταῖν διαθήκαιν ἣν μὲν Πρόξενος ἀπέφηνε — ἣν δὲ Δικαιογένης ἀπέφηνεν —*.

§ 24. *ἀποστὰς δὲ Δικαιογένης ταῦτα τὰ μέρη, ὧν καὶ νῦν ὁμολογεῖ ἀφεστάναι ἡμῖν, ἐβεβαίωσε Μικίωνι* (*Μηκίωνι* libri) *τὸ βαλανεῖον*. Stribligo intolerabilis, quae tamen omnes obsedit libros editos, tollenda est eo quod emblema istud *ταῦτα τὰ μέρη*, cuius quae sit origo haud difficulter dispicias, e contextu orationis exterminatur, id quod non fugit Dobraei acumen.

§ 31. *μελλούσης γὰρ τῆς πρὸς Λεωχάρην δίκης εἰσιέναι — ἠξίου* (*ἠξίουν* Stephanus) *Λεωχάρης καὶ Δικαιογένης δίαιταν ἡμᾶς ἐπιτροπεύειν, τὴν δίκην ἀναβαλλομένους*. Vehementer miror neminem interpretum amplexum esse Reiskii emendationem, qua nihil inveniri certius potest *ἐπιτρέπειν*, cum *ἐπιτροπεύειν* valeat tutelam pupilli alicuius administrare, quod ab h. l. alienum esse non opus est monere, contra *ἐπιτρέπειν δίαιταν* sollemnis sit ac legitima de causa diaetetis committenda formula, quam cum alii usurpaverunt, veluti Lys. or. 32. § 2 (C. Fr. Hermanni antiquit. publ. Gr. § 145 n. 13 et 14), tum quod omnem rem profligat ipse Isaeus paulo post *καὶ ἐπιτρέψαμεν διαιτηταῖς τέτταρσιν*.

§ 35. *Δικαιογένην γάρ, ὦ ἄνδρες, οὔτ᾽ ἐλεεῖν ἐστὲ δίκαιοι κακῶς πράττοντα καὶ πενόμενον, οὔτ᾽ εὖ ποιεῖν ὡς ἀγαθόν τι εἰργασμένον τὴν πόλιν· οὐδέτερα γὰρ αὐτῷ ὑπάρχει, ὡς ἐγὼ ἀποφαίνω, ὦ ἄνδρες — οὗτος γὰρ παραλαβὼν τὸν κλῆρον παρ᾽ ἡμῶν φέροντα μίσθωσιν τοῦ ἐνιαυτοῦ ὀγδοήκοντα μνᾶς, καρπωσάμενος αὐτὸν δέκα ἔτη οὔτε ἀργύριον ὡμολόγει κεκτῆσθαι οὔτε ὅποι ἀνήλωσεν ἔχοι ἂν ἀποδεῖξαι, ὦ ἄνδρες*. Primum et sententia et concinnitas flagitat ut corrigatur *ἐστὲ δίκαιοι ὡς κακῶς πράττοντα*. Deinde futurum *ἀποφανῶ* restituendum, ut Reiskius intellexit dederuntque critici Tur., de qua re infra accuratius viderimus. Sed in nulla dum editione sublatum est vitium, quo obscurantur verba *οὗτος παραλαβὼν τὸν κλῆρον παρ᾽ ἡμῶν*. Comparanti enim mihi § 37 *καίτοι, ὦ ἄνδρες, οὐχ ὁ πατὴρ αὐτῷ τὴν πολλὴν οὐσίαν κατέλιπεν, ἀλλ᾽ ὑμεῖς ἔδοτε τῇ ψήφῳ* et or. 11. § 30. *ὥσθ᾽ ὁπότ᾽ ἠγωνίζετο*

πρὸς τοὺς μηδὲν γένει προσήκοντας, φανερῶς ἂν ἔλαβε τὸ ἥμι κλήριον παρ' ὑμῶν et eiusdem or. 35 ὅτι οὐ μεταδίδωμι τῷ παιδὶ τούτων ἃ ψήφῳ κρατήσας ἐγὼ τοὺς ἔχοντας οὕτω παρ' ὑμῶν ἔλαβον, haec igitur mihi comparanti minime dubium est quin dederit Isaeus παραλαβὼν τὸν κλῆρον παρ' ὑμῶν (i. e. παρ' ὑμῶν ψηφισαμένων), in quam quidem suspitionem iam venerat Dobraeus.

§ 36. οὗτος γὰρ τῇ μὲν φυλῇ εἰς Διονύσια χορηγήσας τέταρτος ἐγένετο, τραγῳδοῖς δὲ καὶ πυρριχισταῖς ὕστατος. In his verbis qualia prodita sunt in libris mscr. (nisi quod πυρριχιέταις continent, quod certatim correxerunt Palmerius in exercitatt. p. 669., Bentleius, Reiskius, Hemsterhusius ad Luciani Timonem § 51.), in his *igitur* ad χορηγήσας deesse vocabulum eius modi quod id genus certaminis designet, in quo quartus a primo victore victoriam rettulerit Dicaeogenes, Reiskius auguratus αὐληταῖς vel tale quid addendum censuit. At iam ante Reiskium verba sunt emendata vel potius in suum ordinem redacta, id quod Isaei interpretes fugit, et a quanto viro! Criticorum enim princeps Bentleius in dissertat. de Phalaridis epistulis p. 377 interpretat. Germ. Ribbeckianae coniecit scribendum distinguendamque esse τέταρτος ἐγένετο τραγῳδοῖς, καὶ πυρριχισταῖς ὕστατος (cfr. Lys. or. 21. § 1, 4). Haud longe ab illo distans maximus nostri aevi criticus idemque gloriae Bentleianae et aemulus et integerrimus cultor Godofredus Hermannus in annalium Lips. philol. et paedag. volumine 54 (a. 1848) 1. p. 13. sic in codice archetypo scriptum exstitisse suspicatus est: οὗτος τῇ μὲν φυλῇ χορηγήσας ἐγένετο τραγῳδοῖς τέταρτος (i. e. δ'), καὶ πυρριχισταῖς ὕστατος. En tibi magni viri de verborum ordine deque particulae δὲ origine paulum discrepantes, de re quidem ipsa idem sentientes. Bentleius enim statuit eam perperam intrusam, G. Hermannus ex δ', i. e. τέταρτος fluxisse iudicat, ut id ipsum vocabulum ante ἐγένετο omittendum sit. Quarum coniecturarum utram utri praeferas ambigas sane: illud utique tantorum virorum consensu efficitur δὲ particulam expungendam esse. Ac si mihi quid sentiam dicendum sit, amplectar Bentleii rationem ut simpliciorem, ita existimans imperito scribae particulam δὲ iam hoc loco inculcari debere visam esse, quae responderet particulae μὲν modo positae.

§ 44. ἀλλ' οὐδὲ τὰ ἀναθήματα — εἰς τὴν πόλιν κεκόμικας. Cum articulum τὴν in optimo cod. A deesse testetur Dobsonus, eum

omnino omittendum esse censeo. Nam *εἰς πόλιν* idem est quod *εἰς ἀκρόπολιν*, quod quidem sine articulo dici solet, veluti in Demosthenis Phil. 3. § 41. Aeschin. de f. Leg. § 174. 175, ubi optimorum codicum auctoritate deletus articulus, Lycurgi Leocr. § 117. Qua de re etiamnunc teneo quae scripsi ante hos viginti tres annos in meis observationibus in oratores Atticos p. 7. „Etenim quae res semel tantum inveniuntur ideoque unum quoddam iam per se efficiunt atque nominis proprii sunt instar, eas ornesne articulo an non ex eo pendet, utrum eas ab aliis rebus discernere velis an per se seorsum cogitare: si discernere voles, addendus articulus; sin minus, addatur an omittatur nihil refert.“ Quod quidem praeceptum aliquot exemplis probavi. V. praeter Foertschium in comment. crit. de locis nonn. Lys. et Dem. p. 18 sq., etiam Frankius ad Dem. or. 5. § 3. et or. 9. § 41.

§ 59. *ἐγχειρήσῃ* restituo ex AB: solus Z *ἐπιχειρήσῃ*, quod receperunt omnes post Bekkerum. Cfr. or. 4. § 14 *παρακρούσασθαι ἐγχειρῆσαι*. or. 8. § 1. *ποιεῖν ἐγχειροῦσι*. Iam referamus nos ad

Orat. 1. de Cleonymi hereditate.

§ 2. *καὶ οἱ μὲν οἰκεῖοι καὶ οἱ προσήκοντες οἱ τούτων ἀξιοῦσιν ἡμᾶς καὶ τῶν ὁμολογουμένων ὧν Κλεώνυμος κατέλιπεν αὐτοῖς, τούτων ἰσομοιρῆσαι.* Sic verba omnes distinguunt interpretes non reputantes se oratorem non tantum incommode loquentem facere, sed etiam cum eo quod per hanc orationem persecutus est consilio aperte pugnantem. Primum enim *τούτων* praesertim in tanta intercapedinis brevitate necessarium non esse neque ad ambiguitatem evitandam neque ad acumen quoddam efficiendum rhetoricum neque ad nervos verbis addendos nemo erit quin largiatur. Quod si sola enunciatio relativa praegrederetur, non simul *καὶ τῶν ὁμολογουμένων*, nihil esset quod miraremur. Quod cum non ita sit cumque *καὶ* particula ipsam efferat enunciationem demonstrativam, *τούτων* insolenter, immo inepte postpositum esse patet. — Quae causa fuit cur Tayloro *καὶ* ante *τούτων* inserendum esse videretur: falso quidem. Sed tralaticiam illam scripturam distinctionemque explodendam esse alia eaque gravior probat causa ab ipsa sententia repetenda. Quid? eundem qui modo (§ 1) dixerat *ἐκεῖνος γὰρ ζῶν μὲν ἡμῖν κατέ-*

λέπε τὴν οὐσίαν quique per totam orationem id agit ut Cleonymi hereditatem nihil ad adversarios pertinere testamentumque quo Cleonymus propinquos quosdam heredes instituerat non iam valere contendat, statim initio orationis concessisse putamus bona Cleonymi illis revera relicta esse? Nempe id esset non indiligenter loquentis, quod excusat Schoemannus, sed temere id ipsum confitentis quod impugnandum refutandumque erat et suo ipsius consilio adversantis. Cave tam gravis neglegentiae sive imprudentiae, quae a quovis oratore aliena esse debet, incuses Isaeum, quem quidem nos liberandum censemus isto crimine eo quod τούτων delemus, ut pote e superiore versu καὶ προσήκοντες οἱ τούτων in hunc locum translatum, virgulam autem post κατέλιπεν ponimus, ut hic sensus evadat: „Adversariorum nostrorum familiares et propinqui aequum censuerunt, ut etiam eorum bonorum, quae relicta esse a Cleonymo nos quoque fatemur („quae igitur non paterna nostra bona esse dicimus.“ Schoem.), nos aequam cum eis (i. e. cum adversariis nostris) portionem ferremus.“ Quod autem αὐτοῖς ad adversarios refertur nemini mirum videbitur, quoniam pronomine τούτων illi iam designati sunt, nec magis quod § 35 ipsi adversarii dicuntur ἐθέλοντες ἡμῖν ἰσομοιρῆσαι τῆς οὐσίας.

§ 11. ταῦτα διανοηθεὶς ἐκεῖνος, εἴτ' ὀρθῶς εἴτε μή, τὰς διαθήκας ταύτας διέθετο, καὶ εὐθὺς ἐρωτῶντος τοῦ Δεινίου παραχρῆμα εἴ τι ἡμῖν ἢ τῷ πατρὶ ἐγκαλεῖ τῷ ἡμετέρῳ, ἀπεκρίνατο πάντων τῶν πολιτῶν ἐναντίον ὅτι οὐδὲν πονηρὸν ἐγκαλεῖ. Primum alterum ἐγκαλεῖ cum parvo intervallo iteratum satis molestum languidumque esse videatur cumque absit a codice quamvis deteriore Q, teste quidem Maio (non prius illud post πατρὶ positum, ut Bekkerus narrat) nescio an eiciendum sit. Simile est illud quod contulit Dobraeus Aristophanis pace v. 363. Ἑρμ. ὦ μιαρὲ καὶ τολμηρέ, τί ποιεῖν διανοεῖ; Τρυγ. οὐδὲν πονηρόν, ἀλλ' ὅπερ καὶ Κιλλικῶν. Sed id levius est. Num autem credibile est Cleonymum a Dinia interrogatum coram civibus omnibus respondisse se nihil habere quod de nepotibus e sorore quereretur? Atqui cives omnes in foro congregabantur: ergo in foro illud factum esse oporteret. Iam vero cum causa illa ad rempublicam nihil pertineret, non potuisse hoc Cleonymum in contione profiteri manifestum est: quare forsitan professus sit coram populo non deliberatum, sed confabulatum negotiatumve illuc congresso (v. C. Fr. Hermanni antiq. priv. Gr. § 17 n. 14).

At cives, qui hoc consilio eo convenerant, cum per forum dispersi alius aliud ageret, alius cum alio colloqueretur, consentaneum est illud coram omnibus quidem civibus fieri non potuisse. Sequitur verba *πάντων τῶν πολιτῶν* corrupta esse, id quod perspexit unus Dobraeus qui suspicatus *πάντων τῶν παρόντων* scripsisse oratorem sententiae bene consuluit, sed proclivius est emendare *πάντων τῶν φίλων ἐναντίον*.

§ 21. *εἰ μὲν γὰρ ἀνελεῖν τὰς διαθήκας βουλόμενος μετεπέμπετο τὴν ἀρχήν, ὥσπερ ἡμεῖς φαμέν, οὐδεὶς ἔνεστι τούτοις λόγος.* Scribi iubet G. A. Hirschig. in Philol. V. p. 322. *οὐδεὶς ἔτ' ἔσται τούτοις λόγος* ad exemplum Antiphontis or. 5. § 96 *καὶ ἐμοὶ οὐδεὶς λόγος ἔσται ἔτι.* Scilicet est ista inanis ratio et linguae Graecae varietatem copiamque improbe praecidens, quam a quibusdam Batavorum maioribus, quamvis eruditissimis viris, temere adhibitam scimus, qua quoniam uno alterove loco hoc vel illud scriptum est, continuo omnibus locis itidem scribendum esse concluditur. Sed ne calumniae locus relinquatur, legitur illa locutio etiam in Demosth. Mid. § 41: *οὐκ ἐνέσται αὐτῷ λόγος οὐδ' εἷς*, et in Eurip. Iphig. Taur. 998 *πῶς δ' οὐ θανοῦμαι; τίς δ' ἔνεστί μοι λόγος.* Est enim haec locutio illa fortior, ut significet h. l. omne illis praeclusum esse atque interceptum effugium, quam sententiae gravitatem etiam auctum iri puto eo quod *οὐδεὶς* divisim scribitur *οὐδ' εἷς ἔνεστι τούτοις λόγος* sicut in illis Demosthenicis.

Eiusdem or. § 31. *καὶ ἐξ ὧν μὲν αὐτῷ πρὸς τούτους ἐγένετο ἡ διαφορά, περίεργόν ἐστι λέγειν· σημεῖα δ' ὑμῖν ἐρῶ μεγάλα, περὶ ὧν καὶ μάρτυρας ἔξω παρασχέσθαι.* Supervacaneum esse dicit actor exponere quae causa fuerit atque origo odii a Cleonymo contra adversarios suscepti: rei tamen ipsius gravia indicia se exhibiturum esse perque testes confirmaturum: qui quidem subinde post indicia simultatis exposita citantur*): ergo iam habuit ille testes in iudicium secum adductos, quos afferret. At *ἔξω παρασχέσθαι* si scriptum esset, e casu id pendere diceretur testesque forte fortuna e corona civium vocatum iri perhiberentur. Ex quo efficitur Isaeum praesenti usum esse *ἔχω παρασχέσθαι*.

---

*) § 32 *καὶ ὡς ἀληθῆ λέγω κάλει μάρτυρας*, in qua formula articulum *τοὺς μάρτυρας* necessarium putat Schoemannus. Sed v. Maetzner. ad Antiph. p. 219 et crit. Tur. ad Isaei or. 1. § 16.

Contrarium errorem commiserunt librarii or. 2. § 2, ubi quod in libris legitur omnibus *διδάσκω οὖν ὑμᾶς ἐξ ἀρχῆς* persuasit mihi Bekkerus ut mutandum conserem in *διδάξω οὖν ὑμᾶς ἐξ ἀρχῆς* *). Nam indicat *συνήγορος* quid sit initio demonstraturus. Praesens tamen tempus de eo quod quis facere ingreditur usurpatum defendit Schoemannus. Ego vero h. l., ut linquam non continuo sequi ipsam rei expositionem sed interiectam esse obtestationem iudicum, perinde esse contendo dicatne orator se j a m i a m causam docere ingredi: satis est eum dicere ac potius dicere eum oportet nihil aliud quam se expositurum esse initio. Minus etiam probatur ea temporis praesentis tuendi ratio, quam excogitavit Bernhardyus, vir ceteroqui summe venerandus, in synt. Gr. p. 370: „id ago ut doceam" („ich gehe mit dem Vortrage um"): meditatus enim ac certo sciens de qua re esset principio explicaturus ad indices accessit actor, audientibus indicat simpliciter propositum suum. — Non magis ferendum est praesens tempus or. 5. § 35 *οὐδέτερα γὰρ αὐτῷ τούτων ὑπάρχει, ὡς ἐγὼ ἀποφαίνω, ὦ ἄνδρες*, sed Reiskio obtemperandum *ἀποφανῶ* scribenti, id quod iure suo fecerunt critici Turicenses testimonio nixi verborum or. 6. § 13 *καὶ οὐδ' ἐγγενόμενον* (sic enim Sauppius emendavit librorum scripturam *οὐδὲ γενόμενον* conferens or. 5. § 19) *ὡς ἐγὼ ὑμῖν ἀποφανῶ ἐκ τούτων πρώτων ὧν αὐτοὶ ἀπεκρίναντο.*

Eiusdem or. § 49. *μήθ' ὡς ἐγγυτέρω τῷ γένει προσήκουσι μήθ' ὡς οἰκειότερον ἡμῶν πρὸς Κλεώνυμον διέκειντο.* Qui omnium

---

*) Sed quod etiam *μὲν* pone *διδάξω* inseri voluit vir doctissimus, id necessarium esse nego. Noluit enim orator initio sententiae de oppositione alterius membri cogitari. Sintenis ad Plut. Pericl. p. 73. Schoemann. ad Isae. p. 202. 343. Doberenz. in observatt. Demosth. p. 14 sqq. Maetzner. ad Antiph. p. 171. Quare etiam in Isaei or. 1. § 25, ubi omnes libri adhuc editi secundum Q: *ἀνελεῖν μὲν γάρ, ὦ ἄνδρες, οὐχ οἷός τ' ἦν ἄλλο γραμματεῖον ἢ τὸ παρὰ τῇ ἀρχῇ κείμενον· γράψαι δ' ἐξῆν εἰς ἕτερον εἴ τι ἐβούλετο,* optimis codd. AB, qui carent particula *μέν*, obsecundandum esse duco. Neque erat cur Bekkerus insertam mallet eandem partic. or. 5. § 29. *ἐπὶ τοῦ δικαστηρίου — ἀφεῖμεν αὐτῷ τοὺς καρπούς — ὕστερον δ' οὐκ ἀναγκαζόμενοι ἀλλ' ἑκόντες ἔδομεν αὐτῷ τὴν ἐν ἄστει οἰκίαν.* Cfr. Andoc. or. 4. § 35 *ἐγὼ τοίνυν ἔν τε τῷ κοινῷ κέκριμαι τετράκις, ἰδίᾳ τε οὐδένα διεκώλυσα δικάζεσθαι βουλόμενον· Ἀλκιβιάδης δὲ τοιαῦτα ἐργασάμενος οὐδεμίαν πώποτε δίκην ὑποσχεῖν ἐτόλμησεν,* ubi item *ἐγὼ μὲν τοίνυν* frustra requirit Bekkerus. Usum tamen illum addubitavit Weber. ad Dem. Aristocrat. p. 147. De Isaei or. 2. § 35. astipulor Jenickio observatt. in Isae. p. 16.

librorum consensu nititur articulus τῷ ante γένει, eum expellere non ausim, id quod fecerunt Baiterus Sauppiusque, quamvis probe sciam eum in tali locutione deesse solere. Certe in Aristoph. av. 1663 τοῖς ἐγγυτάτω τοῦ γένους eodem modo additus est articulus, quem ut in poëtae versu non licet exterminare: quin etiam exstat apud ipsum Isaeum or. 8. § 33. ἐγγυτέρω τοῦ γένους ἐστί, atque in consimili locutione or. 1. § 17 καὶ τῷ γένει προτέρους ὄντας, omissus ille quidem in eadem causa or. 1. § 38. ἢ γένει προτέρους ὄντας ἢ τῇ φιλίᾳ.

Orat. 2. de Meneclis hereditate.

§ 9. καὶ οὕτως ἐκδίδομεν αὐτὴν Ἠλείῳ Σφηττίῳ καὶ ὁ Μενεκλῆς τήν τε προῖκα ἐπιδίδωσιν αὐτῇ, μετασχὼν τοῦ οἴκου τῆς μισθώσεως τῶν παίδων τοῦ Νικίου*), καὶ τὰ ἱμάτια ἃ ἦλθεν ἔχουσα παρ' ἐκεῖνον, καὶ τὰ χρυσίδια ἃ ἦν, δίδωσιν αὐτῇ. Menecles cum uxorem suam, ipsius et duorum fratrum consensu, dimisisset, dimissamque ut alii in matrimonium collocarent a fratribus petisset (§ 8) atque impetrasset, dotem viginti minarum a fratribus uxoris sibi traditam (§ 5) reddere debebat ex lege quae affertur in orat. (Demosth. 59) contra Neaeram § 52. p. 1362 κατὰ τὸν νόμον ὃς κελεύει, ἐὰν ἀποπέμπῃ τὴν γυναῖκα, ἀποδιδόναι τὴν προῖκα, ἐὰν δὲ μή, ἐπ' ἐννέ' ὀβολοῖς τοκοφορεῖν, καὶ σίτου εἰς Ὠιδεῖον εἶναι δικάσασθαι ὑπὲρ τῆς γυναικὸς τῷ κυρίῳ. (Meier. proc. Att. p. 419 et 420). Iam vero sive primum sive rursus femina patre defuncto in matrimonium collocabatur, fratrum erat exstantium, quippe qui κύριοι illius essent, dotem addere sive ἐπιδιδόναι (Harpocr. v. ἐπίδικος p. 79 Bk.), non mariti, qui tantummodo usum dotis haberet: ἐπιδιδόναι enim iure Attico est addere dotem e paternis, non ex alienis fortunis. Quare maritus quamquam κύριος erat coniugis, tamen post divortium factum iure illo privabatur, quod cum re ipsa consentaneum est tum inde apparet quod non ipse sed fratres eam in aliud matrimonium collocabant, minime vero ei dote pro arbitrio uti licebat. Quod cum ita sit, intellegitur ἐπιδίδωσιν falso scriptum esse pro ἀποδίδωσιν,

*) Sic enim e libris restituendum est pro τῶν παίδων τῶν Νικίου, quod dedit Bekkerus. V. praeter ea quae attulit Schoemannus, etiam Fr. Frankius in actis societ. Gr. II. p. 42 sqq.

quae quidem emendatio*) etiam ipsis illis legis verbis stabilitur. Quod autem extr. hac § simplici verbo *δίδωσιν* usus est orator, id nemini offensui fore spero: vestes enim aureaque ornamenta cum doti non accenserentur, ea reddi lex non iussit, quod si factum est, sicut factum est a Menecle, tamquam donatio quaedam fuit liberalis e voluntate mariti profecta. Quare etiam in ipsa lege de hac re constituta simplex verbum usurpatum videmus or. 3. § 35 *ὅπου γάρ, ἐάν τίς τι ἀτίμητον δῷ ἕνεκα τοῦ γάμου***), *ἐὰν ἀπολίπῃ ἡ γυνὴ τὸν ἄνδρα ἢ ἐὰν ὁ ἀνὴρ ἐκπέμψῃ τὴν γυναῖκα, οὐκ ἔξεστι πράξασθαι τῷ δόντι ὃ μὴ ἐν προικὶ τιμήσας ἔδωκεν.* Ceterum *ἐπιδίδωσι* cum *ἀποδίδωσι* permixtum est etiam or. 8. § 9, ubi illud recte reposuit Reiskius. De intellectu autem eorum quae sequuntur verborum *μεταςχὼν τοῦ οἴκου τῆς μισθώσεως — δίδωσιν αὐτῇ* assentior Schoemanno. Sed de praedio quod Menecles vendere coactus esse deinceps narratur (§ 28) coniecturam in medium proferre non dubito. Ille cum praedio septuaginta minis vendito nihil reliquisset praeter trecentas drachmas quae de pretio praedii venditi restabant et par-

---

*) Sero animadverti in eandem suspitionem incidisse Jenickium observatt. p. 11, sed idem vir doctus e libris mscr. revocans *αὐτῷ* pro *αὐτῇ*, quod Tyrrwhitti coniecturae debetur, illudque referri dicens ad Eleum falsus est. Non enim reddimus bona nisi ei a quo aliquando accepimus. Itaque aut *αὐτῇ* recipiendum erit, aut, cum cui reddita dos fuerit nemini potuerit dubium esse, sive *αὐτῷ* sive *αὐτῇ* delendum, quippe ab interprete quodam ascriptum, ne scilicet cui data dos esset nesciretur. Fuit cum mentem meam ea subiit suspitio ut post *ἀποδίδωσιν* virgula incidendum, *αὐτῷ* autem cum *μεταςχὼν* conectendum esse putarem („cum eo, Eleo Sphettio, particeps factus conductionis opum Nicianarum“): sed cum non liquere viderem qua ille de causa cum Eleo fenori sumpserit pecuniam Nicianam, e qua dotem redderet uxori suae ipsi illi Eleo in matrimonium collocandae, ab hac sententia discessi.

**) Pro *ἕνεκα τοῦ γάμου* in libris ad unum omnibus reperitur *ἕνεκα τοῦ νόμου*, quam equidem scripturam non spernendam duco, modo commate post *δῷ* posito verba *ἕνεκα τοῦ νόμου* ad primariam enunciationem *οὐκ ἔξεστι πράξασθαι τῷ δόντι* referantur constituaturque sententia in hunc modum: quidquid aliquis in dote non aestimatum (i. e. „non dotis nomine“ Schoem.) dederit, id per legem non licet repetere ei qui dederit, sive uxor deseruerit maritum sive maritus uxorem dimiserit. Praepositionem *ἕνεκα* nonnumquam ita usurpari declarant Xenoph. Hierone c. 11. § 10. Dem. or. 20 (adversus Leptinem) § 14. Eiusdem or. 3. § 14 (ad quem locum videatur Frankius) et or. 24. § 65. Isocr. Areopag. § 39. Xen. Cyrop. VII. 43. v. Bernhardy synt. Gr. p. 233.

vilem domum vix trium minarum (§ 35 coll. § 27), cumque, ut de dote uxori cognatisque caveretur, praedium pro pignore a marito opponi oporteret (Meier. de bonis damnatorum p. 222. Proc. Att. p. 419. Schoemanni antiquit. iuris publ. Gr. p. 343), probabile est hoc ipsum praedium fuisse ἀποτίμημα, prius ad muniendam dotem fratribus uxoris oppositum. Posteaquam autem decrevit Menecles uxorem suam dimittere, ut dotem redderet, quam statim numerare fratribus uxoris dimissae non poterat, una cum aliis quibusdam fenori sumpsit pecuniam e bonis Nicianis, de qua pecunia ut pupillo (ὀρφανῷ) caveretur idem illud praedium hypothecam constituit. Idem igitur ager bis pro hypotheca constitutus est, et ante discidium pro dote uxoris et post discidium pro pecunia e bonis Nicianis conducta, quam resolvere pupillo Menecles coactus mihi tum esse videtur cum ille sui iuris factus est. De ἀποτιμήματι cfr. instar omnium Boeckh. oecon. pol. I. p. 200 ed. sec.

Orat. 3. de Pyrrhi hereditate.

§ 23 et 24. περὶ δὲ τῆς ἐγγύης τῆς τήθης τῶν παίδων τῶν ἑαυτοῦ — τῶν μὲν οἰκείων οὐδένα τῶν ἑαυτοῦ παρακεκληκὼς φαίνεται, Διονύσιον δὲ Ἐρχιέα καὶ Ἀριστόλοχον τὸν Αἰθαλίδην. — τοιαῦτα μὲν τὰ τούτων· οἷς οὐδ' ἂν περὶ ὁτουοῦν πιστεύσειεν ἄλλου οὐδείς. ἴσως γὰρ ἦν νὴ Δία πάρεργον καὶ φαῦλον, περὶ οὗ τὴν διαμαρτυρίαν παρὰ τοῦ Πυρετίδου φασὶ ποιήσασθαι οὗτοι, ὥστε οὐδὲν θαυμαστὸν ὀλιγωρηθῆναι ἦν τὸ πρᾶγμα. καὶ πῶς; ᾧ γε περὶ αὐτοῦ τούτου ὁ ἀγὼν ἦν ὁ τῶν ψευδομαρτυριῶν, ὃν Ξενοκλῆς ἔφευγεν, ἢ ἐξ ἑταίρας ἢ ἐξ ἐγγυητῆς τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα εἶναι. Primum cum duo testes a Xenocle allati esse dicantur parum noti, expungendus articulus pone Ἀριστόλοχον. V. Fr. Frankii quaestt. Aeschin. in act. societ. Gr. II. p. 47. Retinendus tamen supra § 22 in Διόφαντον τὸν Σφήττιον et in Δωρόθεον τὸν Ἐλευσίνιον. Deinde pro ἄλλου, quod omnibus placuit interpretibus, in libris melioris notae A B reperitur ἄλλοις, quod gravius videtur Meutznero in actis soc. Gr. II. p. 118. quam ἄλλου vulgo receptum. At non decebat actorem in fide istis hominibus deneganda se iudicesque a ceteris civibus secernere, sed negare debet in ulla re, etiam minima, alias fidem eis ab ullo haberi. Opposita igitur haec esse patet: ne in tantilla

quidem re — nedum in hac gravi causa: non alias — ergo ne nunc quidem: nemo fidem habebit — ergo ne nos quidem. Unde perspicuum erit aut ἄλλον recte repositum esse ab hominibus criticis aut quod propter auctoritatem codicum religiosius sequendorum praefero, corrigendum ἄλλως: cfr. or. 10. § 9. ἄλλως δὲ οὐκ ἔξεστιν. — Tum ante περὶ αὐτοῦ in libris mscr. est ὥστε, cuius loco Reiskius scripsit ᾧ γε, quod cum ad ipsum Xenoclem referatur, incommodissime dicitur ᾧ γε ὁ ἀγὼν ἦν, ὃν ὁ Ξενοκλῆς ἔφευγεν, atque locos Xenophontis Thucydidisque a Schoemanno allatos ad nostram rem nihil facere bene perspexit amicus meus Meutznerus l. d. p. 119 Quod tamen idem coniecit scripsisse Isaeum οἷς γε, id ipsum quoque illi obnoxium est reprehensioni, cum numero plurali eundem Xenoclem eumque praecipue designari necesse sit. Deinde non quod causa ista a Xenocle acta quodam modo etiam ad Nicodemum socium eius pertinuit, ideo is actor eiusdem causae dici potest, praesertim cum is ipse qui vere causam egit in eodem enunciato nominatim appelletur. Patebit igitur, ut opinor, neque ᾧ γε neque οἷς γε substitui posse in locum vocabuli ὥστε, quod tamen ne ipsum quidem explicatum habet ullum, ut non commemorem incomptam eo admisso orationem fieri, cum brevi spatio interiecto ὥστε praecessisset. Sententia enim haec est: Nimirum mehercle leve quid erat et minutum, cuius causa hi se testimonium a Pyretide poposcisse dictitabant, ut mirandum non esset ab eo rem istam segniter actam esse. Porro καὶ πῶς; inquit, i. e. interpretante Meutznero καὶ πῶς πάρεργον καὶ φαῦλον ἦν τὸ πρᾶγμα; Iam necesse est ita sibi respondeat orator: (immo) in eo ipso cardo certaminis sive causae, quam de falso testimonio subiit perdiditque Xenocles, versabatur utrum uxor eius e scorto nata an e matre familias suscepta esset. Ne multa, ὥστε ante περὶ αὐτοῦ exterminandum est ut ortum aut e proximis syllabis aut ex eo quod in superiore linea est ὥστε.

Eiusdem or. § 29. *Ἔτι δὲ καὶ περὶ ἐκείνου θαυμάζω, εἰ μηδεμίαν προῖκα μήθ᾽ ὁ διδοὺς μήθ᾽ ὁ λαμβάνων διωμολογήσατο ἕξειν ἐπὶ τῇ γυναικί. τοῦτο μὲν γὰρ εἴ τινα ἐδίδου, εἰκὸς ἦν καὶ τὴν δοθεῖσαν ὑπὸ τῶν παραγενέσθαι φασκόντων μαρτυρεῖσθαι — καὶ μάρτυράς γε πολλῷ πλείους τὸν ἐγγυῶντα παρακαλεῖν ἢ τὸν ἐγγυώμενον τὴν τοιαύτην.* Sic post Reiskium ediderunt omnes. In qua scriptura quaeritur infinitivus *παρακαλεῖν* unde suspensus sit.

Atque ex *δῆλον* quidem, quod prope abest, pendere non posse apparet cum ex eo quod illud supra cum *ὅτι* constructum legitur, tum, licet variatam structuram probes, ex praesenti tempore *παρακαλεῖν*. Relinquitur ut ex *εἰκὸς ἦν* aptum infinitivum statuamus. Illud tamen cum contineatur priore eorum membrorum (*τοῦτο μὲν — τοῦτο δέ*), quorum alterum alteri par est, parum probabile est tale hyperbaton. Iam vero in codd. optimis legitur *πλείους ἦν τὸν ἐγγυῶντα παρακαλεῖν.**) Quare scribendum duco *πλείους εἰκὸς ἦν τὸν ἐγγυῶντα παρακ.* Vocabulum enim *εἰκὸς* absorptum videtur posterioribus vocabuli *πλείους* litteris. Simili de causa § 79 extr. *τὴν ἐκ ταύτης ἀποφανθεῖσαν θυγατέρα* post *ἀποφανθεῖσαν* excidisse *εἶναι* facile concedas: sic enim ubique loquitur Isaeus, veluti § 80 *τῆς θυγατρὸς ἀποφανθείσης εἶναι*. Omnino multae deprehenduntur in Isaei orationibus lacunae, e quibus aliquot indicasse iuvabit, quamvis complere eas lubrici sit indicii et nonnumquam periculosae plenum opus aleae. Or. 1. § 46. *ἀποθνήσκοντες δὲ ἄλλους κληρονόμους ἐβουλήθημεν αὐτῶν μᾶλλον ἢ τὸν πάντων οἰκειότατον* post *ἐβουλήθημεν* me quidem iudice *εἶναι* per errorem oppressum est, ut quod proximis litteris *εν* haustum esse videatur. *βούλεσθαι* enim non coniungi a prosaiis scriptoribus cum accusativo nisi pronominum quis est qui nesciat? Bekkerus minus probabiliter aut *κληρονομεῖν ἐβουλήθημεν* aut *κληρονόμους ποιῆσαι ἐβουλήθημεν* scribi voluit. Or. 4. § 10. *τοῦτο δ' ἦν αὐτῷ* fortasse addendum *ἐπιμελές*, atque eiusdem or. § 20 *ἀλλὰ καὶ ταῦτα μεμαρτύρηται* post *ταῦτα* inserendum *ψευδῆ εἶναι*. Amplior lacuna est or. 6. § 12. *καὶ τοῦ ἄρχοντος κελεύοντος ἀποκρίνασθαι κατὰ τὸν νόμον . . . . . ὦ ἄνδρες, ἀμφισβητεῖν μὲν ὡς ὑπὲρ γνησίων καὶ διαμαρτυρεῖν, μητέρα δὲ ἥτις ἦν μὴ ἔχειν ἀποδεῖξαι, μηδὲ προσήκοντα αὐτοῖς μηδένα*: quam quidem expleverim hunc in modum: *κατὰ τὸν νόμον. καίτοι ἄτοπον, ὦ ἄνδρες*, vel: *κατὰ τὸν νόμον. οὐκ οὖν ἄτοπον, ὦ ἄνδρες*. Quae enim a me inserta sunt forsitan propter similitudinem, quam habent cum eis quae proxime praecesserunt syllabis, exciderint. Sed quod ante *ὦ ἄνδρες* interponi volebat Emperius opusc. p. 316 *ὥστε*, id quam in partem

*) Quod supra inter *πολλῷ μᾶλλον* et *ὁ ἐγγυῶν* in codd. inseritur *ἤ*, est id haud dubie librariorum inscitiae ac torpori tribuendum, qui intellectum nihil curantes post comparativum particulam illam sequi debere opinati sunt, plane ut or. 9. § 36 in libris est omnibus *ὡς αὐτὸς πρότερον ἢ ἀπέθανεν παραβῆναι* pro *πρότερον ἀπέθανεν ἢ παραβῆναι*.

acceptum voluerit parum me perspicere profiteor. Non minus recte conicere mihi videor or. 6. § 51. *καὶ πότερον δεῖ τὴν ἀδελφὴν Φιλοκτήμονος, ἣ Χαιρέᾳ συνῴκησε, νῦν δὲ χηρεύει, ἐπὶ τούτοις γενέσθαι ἢ ἐκδοῦναι ὅτῳ βούλονται ἢ ἐᾶν καταγηράσκειν* pone *ἐᾶν* interisse *ἄγαμον* vel *ἀνέκδοτον*, quorum vocabulorum nescio utrum facilius hauriri proximis litteris potuerit: alterutro utique ad sententiae integritatem mea quidem sententia opus est. Nimirum quo minus senesceret soror Philoctemonis, non poterant impedire adversarii, at poterant quo minus senesceret in viduitate. Neque quisquam negabit in or. 7. § 43. *καὶ μὴ ἐπὶ τούτοις ἐξερημιῶσαι τὸν οἶκον τὸν ἐκείνου* verbo *εἶναι* opus esse, quod quidem post *τούτοις* ponebat Reiskius, mihi autem reputanti quanta sit vocabulorum *εἶναι* et *ἐπὶ* similitudo ante *ἐπὶ* collocandum videtur. Cfr. meae lectt. Lys. p. 22 (316) n. 24. — Or. 7. § 12 *εἴτ᾿ οὖν Εὔπολις γεγένηται αἴτιος μὴ βουληθείς, εἴτ᾿ Ἀπολλόδωρος λαβεῖν μὴ ἐθελήσας, τὰς ἔχθρας, ὅτι διέμειναν, τὸ ἔργον δεδήλωκε*: verbum *δοῦναι* ante *βουληθείς* deesse et oppositio ostendit et declarat ipsa sententia iam § 11 indicata: *Εὔπολις γὰρ αὐτῷ δυοῖν θυγατέρων οὐσῶν καὶ ἐκ τῶν αὐτῶν γεγονὼς καὶ χρήματ᾿ ὁρῶν κεκτημένον, οὐδετέραν αὐτῷ τούτων ἔδωκε.* — Denique in or. 4. § 9 *Κτῆσις* (corrige *Κτησίας*) *δ᾿ ὁ Βησαιεὺς καὶ Κρανιαὸς τὸ μὲν πρῶτον δίκην ἔφασαν τοῦ Νικοστράτου ταλάντου καταδεδικάσθαι* nomen demi ad *Κρανιαὸς* excidisse puto, cum etiam qui cum eo coniunctus est Ctesis cuias fuerit dicatur.

Eiusdem orat. § 60. *καίτοι (ὅπερ εἶπον καὶ πρότερον) ὅσοι μὲν ἂν καταλίπωσι γνησίους παῖδας ἐξ αὑτῶν, οὐ προσήκει τοῖς παισὶν ἐπιδικάσασθαι τῶν πατρῴων· ὅσοι δὲ διαθήκαις αὐτοὶ εἰσποιοῦνται, τούτοις ἐπιδικάζεσθαι προσήκει τῶν δοθέντων.* Pronomen *αὐτοὶ* non habens aut quo referatur aut cui opponatur dubium non est quin corruptum sit. Qua re perspecta Dobraeus proposuit *αὑτοῖς εἰσποιοῦνται*, quod, cum cunctantius ille protulisset, nollem tam fervido studio arripuissent critici Turicenses, ut ordini verborum insererent. Nam non modo nullius momenti est hoc quidem loco *αὑτοῖς*, sed etiam tam dura existit verborum structura, vix ut ferenda esse videatur. Quivis enim sive audiens haec sive legens *τούτοις* ad *ὅσοι* rettulerit, quod si *αὑτοῖς* probaveris absurdum esse patet, cum *τούτοις* utique ad filios referendum sit per testamentum adoptatos. Ne igitur *τούτοις* ad *ὅσοι* pertinere existimemus, hoc ipsum *ὅσοι*

interpretamur necesse est εἴ τινες, et ad εἰσποιοῦνται cogitatione intellegamus τινάς. Iam vides quantis quamque miris opus sit ambagibus, ut aliquo qualicumque modo subveniatur intellectui. Ista igitur difficultas faciliore negotio ita possit cupiam explicanda videri, ut αὐτοὶ εἰσπ. commutetur cum υἱοὶ εἰσποιοῦνται hae sententia: „quotquot autem per testamenta filii adoptati fuerint, eos oportet operam dare ut sibi ab iudicibus adiudicentur bona legata." At vero sic primum concinnitas consensusque cum superiore orationis membro ὅσοι μὲν ἂν καταλίπωσι γνησίους παῖδας ἐξ αὐτῶν perit, cum illic ὅσοι ii dicantur qui bona filiis relinquunt, hic ὅσοι filii ipsi significentur. Deinde passivo εἰσποιοῦνται locus hic nullus est: εἰσποιεῖν enim valet ex una in alteram domum sive familiam transferre, ex quo apparet non eum ipsum, qui adoptat filium, dici posse εἰσποιεῖν, sed eos qui efficiunt ut aliquis adoptetur eumque ex sua aut aliena familia in familiam patris adoptivi transferunt: Isaei or. 4. § 10. or. 6. § 22. or. 6. § 22. or. 7. § 31. or. 10. § 16, 17. or. 11. § 49. Demosth. or. 43. § 15, eiusd. or. 44. § 24, 41, 43. alibi. Hic autem qui arrogat filium εἰσποιεῖσθαι dicitur. Isaei or. 2. § 10. Isocr. or. 19. § 49. Demosth. or. 44. § 34.*) Quibus de causis non dubito quin emendanda sit librorum scriptura ita ut restituatur ὅσοι δὲ διαθήκαις υἱοὺς εἰσποιοῦνται, τούτοις — δοθέντων; litterae ους eis quae sequuntur εἰς interceptae videntur et oblitteratae.**) Sic saepius animadvertere licet ΑΥΤΟC-ΟΥΤΟC-ΟΥΙΟC, cum in scribendo prope nihil inter se differant, permutata esse, veluti or. 6. § 22, ubi omnium librorum scripturam ἐπειδὴ δὲ οὐδ' οὗτος αὐτῷ Φιλοκτήμων συνεχώρει οὐδ' οἱ φράτορες εἰσεδέξαντο sagacissime emendavit I. Bekkerus, ut scriberet οὐδ' ὁ υἱὸς αὐτῷ Φιλοκτ. συνεχώρει. — Or. 2. § 10. τούτῳ μὲν οὖν ἑώρα ἕνα μόνον υἱὸν ὄντα, ὥστε ἐδόκει αὐτῷ αἰσχρὸν εἶναι ἄπαιδα τοῦτον καθιστάντα ἀρρένων παίδων αὐτῷ κελεύειν δοῦναι τοῦτον εἰσποιήσασθαι, in quibus illud male me habet quod prius τοῦτον ad patrem refertur, alterum redit ad filium eius, et obscure quidem redit. Quam ob rem nescio an verum sit quod coniectura assecutus est Dobraeus δοῦναι

*) Ex quo discrimine constanter observato perspicuum est labem or. 9. § 34. μὴ τοίνυν, ὦ ἄνδρες, εἰσποιήσησθε υἱὸν Ἀστυφίλῳ susceptam ita emendam esse, ut e Sauppii coniectura corrigatur εἰσποιήσητε.

**) Conieceram aliquando ὅσοι δὲ διαθήκαις ἄν τινας εἰσποιῶνται vel αὖ τινας εἰσποιοῦνται, sed quod supra proposui nunc videtur mihi praestare.

τὸν υἱὸν εἰσποιήσασθαι. Unum addo locum, in quo ex articulo τὸν Sauppio υἱὸν eliciendum esse visum est, orat. 3. § 69. πῶς ἂν ὑμεῖς ἐπετρέψατε ἐπιδικάζεσθαι, τῷ τοῦ Πύρρου θείῳ, τὸν Ἔνδιον τοῦ Πύρρου κλήρου ἄνευ τῆς γνησίας θυγατρός, εἰ ἦν ἐκείνῳ, ἄλλως τε εἰ καὶ ἐμαρτυρήσατε *) ὡς ἐπέσκηψεν ὑμῖν ὁ ἀδελφιδοῦς ἐπιμελεῖσθαι τούτου τοῦ παιδίου; Haec librorum scriptura cum sensu cassa sit, Reiskius correxit τῷ τοῦ Πύρρου θείῳ, eamque coniecturam probavit Bekkero et Schoemanno, non persuasit Sauppio, qui in epist. crit. ad G. Hermannum p. 92: „Sed cum loco parum apto, inquit, haec compellatio posita videtur, tum Baiterus rectissime monuit non duo sed tres esse Pyrrhi avunculos, coll. § 26.“ Sic optime amicus. Ingeniose igitur coniecit scripsisse Isaeum ἐπιδικάζεσθαι τὸν τοῦ Πύρρου θετὸν υἱὸν Ἔνδιον. At primum neque vocabulo υἱὸν neque nomine Ἔνδιον addito opus est, deinde cur qui dativum propter verbum ἐπετρέψατε procudisse putantur non simul nomen ipsum τὸν Ἔνδιον in dativum mutari voluerint causam equidem reperio nullam. Denique in loco persimili vel potius gemino § 41. πῶς ἐπέτρεψας τῷ ἡμετέρῳ ἀδελφῷ ἐπιδικάσασθαι τοῦ κλήρου ἄνευ τῆς γνησίας θυγατρός, ἣν φῂς τῷ ἡμετέρῳ θείῳ καταλειφθῆναι; itidem dativus legitur, ut ad eum quoque de quo quaerimus locum dativum solum quadrare prope certum esse videatur. Quae me causae movent ut Meiero assentiri malim, qui in Proc. Att. p. 463 n. 56. scribendum coniecit ἐπετρέψατε τῷ τοῦ Πύρρου θετῷ τοῦ Πύρρου κλήρου, omissis verbis τὸν Ἔνδιον, quae interpretamenti speciem referentia forsitan ex initio huius paragraphi huc irrepserint.

Orat. 4. de Nicostrati hereditate.

§ 11. Ἐχρῆν μὲν οὖν, ὦ ἄνδρες, ὅστις κατὰ δόσιν χρημάτων ἀμφισβητῶν ἡττηθείη, μὴ κατὰ τὸ τέλος ζημιοῦσθαι, — οὕτω γὰρ οὔθ' οἱ νόμοι κατεφρονοῦντο οὔτε τὰ γένη ὑβρίζετο πρὸς τούτων, οὐδ' ἂν τῶν τεθνεώτων οὐδεὶς κατεψεύδετο. Primum pone γὰρ vel invitis libris inserendam esse particulam ἂν cum ex universa sententiae conformatione facile conspicitur, tum inde manifesto concludi

---

**) G. A. Hirschig. Philol. V. p. 328 flagitavit ἄλλως τε καὶ μαρτυρήσαντες ὡς —. Sed cfr. illa, quae conferri iubet Schoemannus, Demosthenis or. 41. § 17. p. 1033, 7 ibique Schaefer.

potest quod in tertio orationis membro οὐδ' ἂν τῶν τεθνεώτων οὐδεὶς κατεψεύδετο, quod eandem quam duo superiora vim habet et condicionem, ἂν particula in omnibus legitur libris. Praeterea autem aliquid in eis quae sequuntur turbatum est, etiamsi primo obtutu omnia bene procedere ac profluere videantur. Illud enim ipsum offensioni est quod non singulis orationis membris auctoritate et structurae conformatione paribus praefiguntur eaedem particulae negantes οὔθ' — οὔτε — οὔτ' ἂν τῶν τεθνεώτων, sed tertio loco οὐδ' ἂν scriptum est. Quae quidem inconcinnitas orationis vel potius salebra induxit G. A. Hirschigium (Philol. v. p. 323), ut οὔτ' ἂν τῶν τεθνεώτων restitutum vellet. Sed hac correctione nihil proficitur. Verba enim πρὸς τούτων prorsus aliena sunt a sententia communi, in cuius initio (Ἐχρῆν — ἀποτίνειν) non magis ulla adversariorum (Chariadae eiusque sociorum) inicitur mentio quam in eis quae deinceps fusius uberiusque disseruntur de difficultate et ambiguitate quae insit in hereditatum controversiis deque fide testium in his causis saepe suspecta et corrupta. Quid igitur esset cur hoc potissimum loco soli isti adversarii illa ratione ab oratore proposita impeditum iri dicerentur quo minus cognationes (τὰ γένη) petulanter contemptimque laedere conarentur? Nonne si illa ratio usu venisset, omnes omnino cives id facere prohibiti essent? Ac ne ulla de hac re dubitatio relinqueretur, in ea quae proxime sequitur enunciatione Isaeus non οὗτοι κατεψεύδοντο scripsit aut οὐδεὶς τούτων κατεψεύδετο, sed simpliciter οὐδείς. Consectarium est verba πρὸς τούτων falsa esse, praesertim cum ne a codicibus quidem quicquam habeant commendationis, sed solo nitantur editionis Aldinae testimonio. Codices enim omnes consentiunt in scriptura hac πρὸ δὲ τούτων, in qua particulam δὲ nescio unde intrusam esse affirmant. Sed pervelim doceri quo tandem id casu factum esse existiment. Immo molesta illa, si dis placet, particula novam hoc loco introduci enunciationem indicat. Ac mihi quidem dubium non est quin scripserit Isaeus πρὸς δὲ τούτῳ οὐδ' ἂν τῶν τεθνεώτων οὐδεὶς κατεψεύδετο, quo facto virgula post ὑβρίζετο ponenda erit. Singularis numerus in hac locutione πρὸς τούτῳ est etiam apud Herod. I. 41, χωρὶς δὲ τούτου reperitur apud Isaeum or. 12. § 3. De permutatione praepositionum πρό et πρός omnia nota: cfr. tamen, si tanti est, Dorvill. ad Charit. p. 286 sq.

Eiusdem orat. § 22. ἐνθυμοῦνται γὰρ ὅτι κατορθώσασι μὲν τὰ ἀλλότρια ἔχειν, διαμαρτοῦσι δὲ μικρὸς ὁ κίνδυνος.

Loquitur actor de quibusdam hominibus qui hereditates eorum qui extra Atticam defuncti erant petebant, quamvis eorum nonnullos ne nossent quidem. Istos enim homines sic ratiocinari, si res bene cesserit, sibi bona aliena futura esse, sin exciderint causa, non magnum se adituros periculum. Mancam autem orationem equidem non defenderim quemadmodum defendere animum induxit Schoemannus: „Infinitivus, inquit, cum dativo haud ita raro (?) usurpatur de rebus, quae alicui eventurae aut faciendae esse dicuntur, ubi aut ἐστὶ aut γίγνεται aut δεῖ suppleri possit. Nonnulla huius generis exempla vid. apud Bernhardyum Syntax. p. 358 sq.“ Nam ad μικρὸς ὁ κίνδυνος nemo quidem erit qui ἐστὶ vel ἔσται adiectum requirat, sed quod hic facile potest ad adiectivum tacita cogitatione assumi verbum substantivum, non item potest ad infinitivum cum dativo iunctum, nec puto ita Graecos dicturos fuisse: κατορθώσασι μὲν τὰ ἀλλότρια ἔχειν, διαμαρτοῦσι δὲ μικρὸς ὁ κίνδυνός ἐστι vel ἔσται: nullo utique pacto licet id ipsum verbum quod omissum est ad adiectivum, in superiore membro ad infinitivum praegressum mente addere. Hoc esset omissum alterum altero omisso complere sive defectum defectu resarcire velle. Quare ne Maetznero quidem assentior ad Dinarch. p. 128 de nostro loco disputanti, sed potius aliquod vitium in eo delitescere puto, in eademque sententia fuerunt Dobraeus et Emperius, quorum ille ὑπάρχει ad ἔχειν addendum, hic ἐστὶν huic ipsi verbo praeponendum censuit. At futurum requiri mihi videtur. Scribe igitur adiectione non ita violenta adhibita: κατορθώσασι μὲν ἔσται τἀλλότρια ἔχειν. Verbum ἔσται et propter syllabam τὰ et propter eam quae antecedit εν oblitteratum videtur. τἀλλότρια autem per crasin scribitur etiam or. 5. § 8.

Orat. 6. de Philoctemonis hereditate.

§ 15. τὰ γὰρ τοιαῦτα οὐκ εἰς τὴν ἀνάκρισιν μόνον δεῖ πορίζεσθαι ὀνόματα, ἀλλὰ τῇ ἀληθείᾳ γεγονότα φαίνεσθαι καὶ ὑπὸ τῶν προσηκόντων καταμαρτυρεῖσθαι. Contenderant Androcles*) et

*) Per totam orationem audit Ἀνδροκλῆς, uno loco excepto, qui est § 47, ubi idem appellatur Ἀνδροκλείδης per patronymicum, quod nollem sollicitatum a Schoemanno criticisque Turicensibus. V. quae observavi in libro qui inscribitur: die oligarchische Umwälzung zu Athen p. 48 n. 47. et ad Lysiae

Antidorus, adversarii Chaerestrati*), cum is Philoctemonis hereditatem peteret**), filios Alces legitimo matrimonio ab Euctemone e Callippe Pistoxeni filia susceptos esse. Quibus is cui haec oratio scripta est συνήγορος opponit non sufficere nomina temere attulisse, sed necesse esse veritas rei in litis instructione quam iuris consulti vocitant demonstretur confirmeturque necessariorum testimoniis. Duas igitur res postulat et probationem rei et testimonia, postulare autem ab adversariis manifesto non potest ut rem vere factam esse appareat. Unde conicio φαίνεσθαι non recte se habere sed ἀποφαίνεσθαι. Siquis autem φαίνεσθαι tueri animum induxerit verbis or. 10. § 24. καίτοι δίκαιον — παρέχεσθαι ἢ καταδεδικασμένον φαίνεσθαι, οὕτω καὶ τούτους — αὐτὸν (scribe αὐτοῦ) ἀξιοῦν ἐπιδικάζεσθαι, vehementer fallatur. καταδεδικασμένον enim cum non passivum sed medium sit, ut recte observat Schoemannus, proprie sententia haec est: possessor necesse est appareat talis qui obtinuerit ut fundus, quem sibi vindicat, sibi adiudicaretur.

---

or. 30. § 11. Adde Sturz. de nominibus Graecis in comment. soc. philol. Lips. vol. I. p. 228. C. Fr. Hermann. in scriptis minoribus.

*) quem heredem scripserat Philoctemo testamento apud Chaeream alterius sororis maritum deposito: § 7. καὶ τὴν διαθήκην κατέθετο παρὰ τῷ κηδεστῇ Χαιρέᾳ, τῷ τὴν ἑτέραν αὐτοῦ ἀδελφὴν ἔχοντι, e quibus verbis emendandum puto argumentum huic orationi praemissum. Scribo enim sic: Εὐκτήμονος υἱὸς Φιλοκτήμων τὸν τῆς ἑτέρας τῶν ἀδελφῶν καὶ Φανοστράτου υἱὸν Χαιρέστρατον ποιησάμενος κατὰ διαθήκας κατατεθείσας παρὰ Χαιρέᾳ τῷ τῆς ἑτέρας ἀδελφῆς ἀνδρί. In libris A B est κατὰ διαθήκας τὰς τεθείσας, in ceteris κατὰ διαθήκας τὰς δοθείσας.

**) quam non diversam fuisse ab hereditate Euctemonis patris post filii mortem superstitis acutissime copiosissimeque demonstravit Schoemannus in opusculorum academ. vol. I. p. 275 sqq., ubi intricatam causam felicissime explicavit et expedivit. Quod tamen attinet ad expeditionem Siciliensem statim § 1. commemoratam, idem vir doctus in ed. p. 322 diversam eam esse indicat ab illa quae Arimnesto archonte suscepta sit. Hermannus autem Weissenbornius in Erschii et Gruberi encyclop. sect. II. vol. 24. p. 296 ipsum nomen Σικελίαν corruptum esse arbitrans vel Θεσσαλίαν vel Μακεδονίαν substitui volebat. Sed forsitan iure retineatur Σικελίαν, modo pro Χαιρέστρατος, cuius loco cod. Z et Ald. habent Μενέστρατος, scribatur Φανόστρατος intellegaturque ipsa illa expeditio Arimnesto archonte facta. Qua re probata συνήγορον sane plus quam septuagenarium fuisse oportet, quae aetas cur συνηγορίας officio parum convenire videatur non perspicio.

Eiusdem or. § 23. εἰδότες δ' οἱ ἀναγκαῖοι ὅτι ἐξ ἐκείνου μὲν οὐκ ἂν ἔτι γένοιντο παῖδες ταύτην τὴν ἡλικίαν ἔχοντος, φανήσοιντο*) δ' ἄλλῳ τινὶ τρόπῳ καὶ ἐκ τούτων ἔσοιντο ἔτι μείζους διαφοραί, ἔπειθον, ὦ ἄνδρες, τὸν Φιλοκτήμονα ἐᾶσαι εἰσαγαγεῖν τοῦτον τὸν παῖδα, ἐφ' οἷς ἐζήτει ὁ Εὐκτήμων, χωρίον ἐν δόντα. De horum verborum et intellectu et scriptura in diversas partes abierunt interpretes. Atque Lusaci quidem de digamia Socr. p. 58 in accusativo ἐνδόντα offensi opinionem, ex qua κούριον ἐνδόντα rescripsit idque coniunxit cum Φιλοκτήμονα, iam satis refellit Schoemannus. Nimirum orta est ista coniectura ex perversa librorum qui ante Crippsianum et Laurentianum collatum excussi erant scriptura χωρίον ἐνδόντα. Tandem qui primus illos adhibuit Imm. Bekkerus eam eruit scripturam, quae quin vera sit dubitari nequit χωρίον ἐν δόντα. Iam vero cum necessarii Euctemonis Philoctemoni filio persuasisse narrentur, ut nihil moraretur quin pater Euctemo alterum ex liberis Alces libertinae, quacum rem habuerat, in phratriam introduceret, uno ex bonis suis addito agello: perspicuum est δόντα ad solum referri Euctemonem. Atqui in ea quae proxime praecedit enunciatione (ἐφ' οἷς Εὐκτήμων) Εὐκτήμων nominativus est, ut ad hunc quidem participium δόντα respicere non posse manifesto appareat. Scilicet est ista enunciatio secundaria, in qua repetitur nomen ὁ Εὐκτήμων perspicuitatis causa, nequis forte ad ἐζήτει Philoctemonem aut puerum intellegi credat, cuius modi nominis repetitionem ab Isaeo ad evitandam ambiguitatem orationis institutam videmus or. 5. § 18 ἀφίσταται μὲν Δικαιογένης τοῖν δυοῖν μεροῖν τοῦ κλήρου ταῖς Δικαιογένους ἀδελφαῖς. Ex quo efficitur δόντα cum primaria enunciatione cohaerere. Quod cum intellexisset Schoemannus, participium illud cum infinitivo εἰσαγαγεῖν coniungi debere iudicavit. At tum tantum participio non addita personae notatione locus est, cum universe loquuntur Graeci, non est, cum certa quaedam designatur persona. Ne plura, ipsa illa quam quaerimus persona inest in enunciatione primaria, τοῦτον dico, i. e. Euctemonem patrem, ut verborum constructio haec sit: οἱ ἀναγκαῖοι ἔπειθον τὸν Φιλοκτήμονα ἐᾶσαι τοῦτον (ut concederet huic, patri Euctemoni) χωρίον ἐν δόντα εἰσαγαγεῖν τὸν παῖδα. Similiter duo accusativi, quorum alter subiectum, alter obiectum est, iuxta positi inveniuntur or. 10. § 9. (εἴτε οὖν — φήσαι τις) Δημοχάρην

*) De constructione cfr. Fr. Frankius in quaest. Aeschin. (Fuldae 1841) p. 8.

αὐτὸν ποιήσασθαι. Quod autem suspicatus est Dider. Jan van Stegeren, de Graecorum diebus festis (Traiecti ad Rhen. 1849) p. 29. emendandum esse χωρίον ἐπιδόντα, id probare minime possum, praesertim cum significatio verbi ἐπιδιδόναι propria ei de qua agitur rei non conveniat. Verba autem χωρίον ἐν δόντα non eam vim habent, ut puer iste in phratorum album inscriptus statim agellum accepisse dicatur, sed potius condicionem continere videntur, qua constitutum erat ut puer mortuo demum Euctemone unum idque definitum quoddam praedium ex bonis ab illo relictis accepturus esset. Quod nisi ita se haberet, Euctemo non illas ipsas condiciones a se cum filio suo Philoctemone initas, quibus puerum istum in phratriam recipiendum curaverat, postea testamenti tabulis consignatas deposuisset apud Pythodorum Cephisiensem, id quod narratur § 27. Μετὰ ταῦτα τοίνυν ὁ Φιλοκτήμων τριηραρχῶν περὶ Χίον ἀποθνήσκει ὑπὸ τῶν πολεμίων. ὁ δ' Εὐκτήμων ὕστερον χρόνῳ (nonne χρόνῳ ὕστερον?) πρὸς τοὺς κηδεστὰς εἶπεν ὅτι βούλοιτο τὰ πρὸς τὸν υἱὸν οἱ πεπραγμένα*) γράψας καταθέσθαι. — — ὁ δ' Εὐκτήμων παραλαβών τινας ἧκεν οὗ ἐξώρμει ἡ ναῦς, καὶ γράψας διαθήκην, ἐφ' οἷς εἰσήγαγε τὸν παῖδα, κατατίθεται μετὰ τούτων παρὰ Πυθοδώρῳ Κηφισιεῖ, προσήκοντι αὐτῷ. Sic igitur existimo, Philoctemonem pollicitum esse se post mortem Euctemonis unum agellum ex bonis sibi relictis puero traditurum: posteaquam autem filius (Philoctemo) praeter exspectationem obiit patre superstite, hunc (Euctemonem) rem eandem, de qua ipsi cum filio suo convenerat, testamenti tabulis consignandam curasse pueroque per id testamentum legasse agellum. Fuit igitur haec δόσις sive legatum (§ 28), eoque argumento utitur patronus Chaerestrati, ut puerum non posse germanum Euctemonis filium esse demonstret. Atque quod tum demum illam rem testamento confirmatam voluit Euctemo, cum Philoctemo obiit, id inde factum esse patet, quod quoniam Philoctemo legitimus illius filius erat, dum is vivebat, patri per legem testari non licebat.

Eiusdem orat. § 53. νῦν δὲ πῶς ἄν τις περιφανέστερον ἐξελεγχθείη τὰ ψευδῆ μεμαρτυρηκὼς ἢ εἴ τις αὐτὸν ἔροιτο „Ἀνδρόκλεις, πῶς οἶσθα Φιλοκτήμων (rectius Φιλοκτήμον' e Baiteri con-

*) Ex mea interpretatione cognoscitur sanam esse librorum scripturam neque Dobraeum audiendum qui scribi voluit τὰ περὶ τοῖν υἱέοιν οἱ πεπραγμένα.

iectura) ὅτι οὔτε διέθετο οὔτε υἱὸν Χαιρέστρατον ἐποιήσατο;" Androcles διαμαρτυρίαν interposuerat, qua intestatum obisse affirmaverat Philoctemonem, ut Chaerestratus, pro quo haec συνηγορία habetur, impediretur quo minus peteret hereditatem Philoctemonis sive Euctemonis. Falsum autem fuisse testimonium illis verbis arguere vult orator: quae res eo evidentior fit, quod aliquis Androclem compellans fingitur. Iam quaero, cum certum quendam hominem nomine alloquimur, num liceat eundem tamquam incertum in universum designare idque in eodem enunciato. Id vero factum hoc loco non Isaei, ut mihi quidem videtur, sed librariorum culpa. Omnes enim, qui quidem praeceptis legibusque cogitandi se teneri putant, repudiabunt huius modi dicendi rationem: Quo modo q u i s luculentius arguatur falsum dixisse testimonium, quam siquis sic interroget: „Androcle, nostine Philoctemonem testamentum conscripsisse?" Hoc vero eodem rediret ac siquis diceret: Quilibit luculenter redarguitur, quem interrogamus: Androcle, nostine etqs. Cuivis scilicet nomen Androcli poneretur. Tale quicquam cave credas ab Isaeo commissum esse, quem scripsisse persuasum habeo: νῦν δὲ πῶς ἂν περιφανέστερον ἐξελεγχθείη sine vocula τις, quae e proximis verbis εἴ τις αὐτὸν ἔροιτο huc videtur manasse. Ad ἐξελεγχθείη autem ipsum illum Androclem mente intellegendum esse per se patet. Neque vero metuo ne quis ut voculae isti a nobis expulsae patrocinetur verbis utatur or. 9. § 8. οὕτω γὰρ εἴτε κατὰ γένος εἴτε κατὰ δόσιν ἀμφισβητοίη τις, ῥᾳδίως ἂν ἐλέγχοιτο ψευδόμενος: eorum enim prorsus aliam rationem esse quivis videt.

Orat. 7. de Apollodori hereditate.

§ 26. Οὕτω μὲν οὐχ οἱ γεννῆται μόνον καὶ φράτορες γεγόνασι μάρτυρες τῆς ἐμῆς ποιήσεως, ἀλλὰ καὶ Θρασύβουλος οὐκ ἀμφισβητῶν ἔργῳ δεδήλωκεν ὅτι τὰ πεπραγμένα Ἀπολλοδώρῳ κυρίως ἔχειν νομίζει καὶ κατὰ τοὺς νόμους· οὐ γὰρ ἄν ποτε τοσούτων χρημάτων οὐκ ἐλάγχανε. γεγόνασι δὲ ὅμως καὶ ἄλλοι μάρτυρες α ὐ τ ῷ. Postremum voc. αὐτῷ referunt ad Apollodorum, quod fieri nequit. Is enim cum obisset, iam nullis credo egebat testibus. Immo vero Thrasylli erat ostendere qui testes fuerint suae adoptionis. Apparet id etiam ex proximis quae his opposita sunt verbis Οὕτω μὲν οἱ γεννῆται καὶ φράτορες γεγόνασι μάρτυρες τ ῆ ς ἐ μ ῆ ς π ο ι ή σ ε ω ς.

Itaque aut omnia me fallant aut scripsit Isaeus *γεγόνασι δὲ ὅμως καὶ ἄλλοι μάρτυρες αὐτῶν*, i. e. *τῶν πεπραγμένων*. Pronomen *αὐτῶν* ita usurpari a Graecis inter omnes constat. V. Foertsch. observatt. crit. p. 74 sq. Maetzner. ad Antiph. p. 254. meae lectt. Lys. p. 63 (357).

